

Biblioteca Universitaria
CANADA

Sala

R

Sección

15

Suble

367

Numero

2

230 to / 9-18



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

Sala:

A

Estante:

17

Numero:

275

174-10-4

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

Edición

~~Edición~~

Número

0924448772

Comprolo el. D. e. Reio de Montenegro

CL. V.

B-5105

IUSTI LIPSI
FLORES,

Ex eius operibus decerpti,
per locos communes digesti.

Quibus accessere

TESTIMONIA,

SYMBOLA,

INSCRIPTIONES,

EPITAPHIA.

Del Coll. Opera de la Comp.

FRANCISCI SWEERTI Antwerp,

Editio vltima, prioribus auctior &
emendatior.

Hos

e Gran.



COLONIÆ

Sumptibus Bernardi Gualteri,

M. DC. XX.

Blutige...
Antwerpen







Amplissimo Viro

FRANCISCO

KINSCHOTIO

Iure-consulto egregio

ET

SUPREMO BELGICÆ

THESAURARIO

FRANCISCVS SWEERTIVS

LIB.MER.D.D.



Mittimus ad te, Illustris
Domine, exiguum mu-
nus, imò non mittimus,
sed ipsum sponte ad te
ibat. Miraberis non in-
iuriã, in tanta gratu-
lantium TIBI amico-

rum copia, me quoq; compellare, faustaque
omnia omine bono apprecari ausum: idque
ex veteri formula: BONVM FA-
CTVM, FELIX, FAVSTVMQ.
SIT: munus hoc Thesauri Gazæque Prin-


EPISTOLA

cipis administrande, vertat benè, ab Opt.
 Max. Pioq₃ nunc Principe ALBERTO
 AVSTRIO difficillimis hisce tempori-
 bus Tibi sponte delatum, vitâ nuper, ad
 meliorem vitam abeunte amico nostro
 BALTH. DE ROBIANO, qui inte-
 grè casteq₃ id obiit: quiq₃ moriens roga-
 tus, Successoris The elogio censuit decoran-
 dum: cuius in locum ipse propensa omnium
 in te voluntate susceptus es. Cumq₃ eidem
 olim IUSTI LIPSI, singularis Belgij no-
 stri ornamenti & Europæ ocelli, atq₃ vtri-
 usque vestrum, dum spiraret, studiosissimi
 FLORES SENTENTIARVM &
 AVREORVM AVREA è multis ma-
 gnisq₃ eius Operibus vno colligatos fasce
 nuncupassem: eosdem FLORES nimium
 quantum auctos, vt noui recentesq₃ ac spi-
 rantes cernere quis credat, Tibi vt succes-
 sori, do, dico, addico, bonâq₃ in partem vt
 accipias, dum maiora vobis apparantur, &
 præmissis veluti lorariis grauis armaturæ
 atque cataphracti equites subsequantur,
 maiorem equidem in modum rogo obtes-
 torque: Vt cum à publicis interdum respi-
 rare libet negotijs, FRANCISCO filio
 summæ spei puero, ad aui, parentis, maio-
 rumq₃

DEDICATORIA.

rumq; laudem surgenti, grandiori paulò
 etate tradas in manus teneriores: utq; de-
 mum per Te nostrates eruditi, ut exteri
 solent, legant cupidius FLORES in hoc
 Viridario veluti spirantes, ad Sapienciam-
 que manu-ducenres gemmas, amplectan-
 tur. Sic fiet, ut ex Isocratis Oratoris Athe-
 niensis consilio, hortatuq;, quemadmodum
 filij cum parentum adeunt hereditatem, a-
 micos quoq; eosdem retineant: sic & deces-
 soris tui, MAGNE VIR, patrocinando vicem obire ne graueris in hoc foetu
 FLORVM LIPSIANORVM tu-
 endo ornandoq; FELICITER, Sic
 TIBI, quæ vouemus, fausta prosperaque
 eueniant vniuersa.

Antuerpiæ, Kal. Quinti-
 lib. clb. 10c. xx.



INDVSTRIÆ ET
DILIGENTIÆ

FRANCISCI SWEERTI
Antuerpiensis

ELIPSIANÆ SAPIENTIÆ
hortulis FLORES feligenti,

IYSTVSRYCKIVS
GANDENSIS.

Qualis odoratæ pictis in vallibus Hy-
blæ

Omnigenos flores callida libat apis:
Et modò puniceo foliorum ludit in ostro,
Et modò purpureâ pascitur illa niue,
Scipatura suis mella inde liquentia cellis,
Vnum quod semper sedula curat o-
pus.

Sic tua decerpit sollers industria, SWEER-
TI,

LIPSTADÆ quidquid nobilis hor-
tushabet:

Vnde animi possint generosas discere le-
ges,

Oraq; facundis currere fluminibus.
Inde tibi meritas tribuit SAPIENTIA lau-
rus,

Atq;

Atque oleam iunxit cælia Diua
suam.

LIPSIADÆ & SWEERTI par gloria, viui-
te FLORES,

Nec graue vos fidus, nec mala tan-
gat hiems.

MAXÆMYLIANVS

VRIENTIVS

Patritius Gandensis.

Quid LIPSI FLORES, selectaq; fi-
dera, SWEERTI,
Melligenæ instar apis, sollicito vn-
gue legis?

Frustra equidem tuus ille labor, nam LI-
PSIVS omnis

Nil nisi FLOS FLORVM, nil nisi
fidus habet.

LIPSIANI HORTI

A SWEERTIO APERTI

LEX NOVATA.

B. F.

Quisquis es, *sta, lege, pare,*
Sweertius ad limen sic edico.
Floribus fruendi tibi ius esto.

Ad adspectum, ad captum;
Oculo, nare, manu, quidquid heic natum aut
satum, libato.

Tyro, non esto; manum mentemq; admoueto.
Ni effers, ad visum, tactum, lectum,
Verbo dicam te efferto.

Horto & floribus vsquequaque fruitor,
Quauis horâ venito,
Ad quam voles, maneto.

Inter legendum,
De FLORIBVS *differe,*
Si voles *disce,*
Si vales *doce,*
Si voles *cape,*
Si vales *corpe.*

Tu qui linguâ *iocosus es,*
Tu qui ocalis *lippoſus,*
Tu qui nare *polypoſus,*

Exesto:

CLVSIVS ego sum vobis.

ZOILE, *emaneto,*

Inuidia, *emaneto,*

CLVSIVS ego sum vobis.

Habes? hoc etiam Zoile,

Quoquo te agis, te video, te audio.

IN
FLORES
LIPSIANOS.

Nescis florigenos LIPSI quis spargat
honores

Lector? non florum florida FLORA fuit.
Hos tibi ridenteis horti patefecit odores
SWEERTIUS, has cornu diuite fundit
opes.

CLYSIVS hic nullus, nullus stat limine
Ianus:

Demete, carpe, licet, naribus, ore,
manu.

Demete musæo, Lector placidissime FLORES
Pollice, musæo pollice pulchra me-
tes.

Et tu quisquis amas Charites Charitumque
sorores,

Collige LIPSIACIS plena canistra
rosis.

F. PROSPER STELLARTIUS
Ordin. Erem. S. Augustini.

IN EOSDEM.

SWEERTIUS flores amœnos hosce LI-
PSII è libris

Vngue carpsit delicato. nec tamen facit
suos:

Donat en Orbi vniuerso, Posterûmq; poste-
ris.

** 5

Sed

Sed quid? ut mellisuaue mox ex his leget pu-
dens Apis;
Sic & inde fel leget merum impudens Ara-
nea.

IANVS GRVTERVS.

GAVCO GAVKEMA
FRISIVS,

Canonicus Aquisgranensis.

IN EOSDEM.

DELICIAS, MONVMENTA, & quid-
quid vbique venusti
Aut FLORVM est, mirâ dexteritate
legis.

O te felicem, SWERTI! cui contigit vni:
Cui datur æternus LIPSIVS in so-
cium.

LIPSI, Fama tuum nomen super æthera
tollit:

Tollit, & à MORTIS vindicat im-
perio.

Hoc probat, hoc ipsum gratatur pectore
amico

GAVKEMA, proque tua vota salute
facit.

Perge igitur, ô SVVERTI, reddet tumu-
loquetibique

Et cetera & FLORES candida Posteritas.

IN

IN AMOENISSIMOS

FLORES EX

CL. V. IVSTI LIPSI
scriptis selectos.

DELICIAS toto terrarum SWEERTIVS
orbe

Solerti nuper sedulitate legens,

Instruxit lauto Philomusis prandia missu,

Et variam variâ lenijt arte gulam.

Inde per ERRANTVM docta AGMINA
formosarum

E LIPSI cerebro Mnemosyneque
fata

Ad mensam statuit spectacula blandula,
quam nunc

LIPSIACIS fabrè FLORIBVS ec-
cepolit.

IVSTVS enim nitidis gemmantem FLORI-
BVS olim

Mirificâ cultum fronde colebat a-
grum:

E quib. haud sefidi lectos indagine, SWEER-
TI,

Fasciculos rarâ dexteritate ligas;

Queis oculos pascis spectantium, plenius
ipfos

Eximiâ sensus utilitate animi.

Macte Vn istius curæ, egregijq; laboris,

Tales hæc legulos tempora pigra vo-

En tibi ad effectum vires dat Numen, vt iste
Tam gratæ multis infinentur opes,
Euge, perennabit labor hic, & FLORIFER
hortus,

In patulas perget luxuriare comas.
Sic famæ LIPSII vestigia iuncta tenebis;
Sic venies, SVVEERTI, tu quoque
in ora virum.

F. MELCHIOR DAELHEMIUS
Ordin. Eremit. S. Augustini
Bruxellæ pangebatur.

FRANCISCO SVVEERTIO
MERCATORI SEDVLO,
AMICO OPT. MAX.

ERgone mi SVVEERTI, nihil hunc pro-
dibit in Orbem

Quod non expoliat crastina quæ-
que dies?

Anne tibi in fatis clarorum scripta virorum
Officijs semper sic decorare tuis?

Pinxerat ORTELIUS Capita effigiesque
Deorum;

Descripsit totos SVVEERTIVS ecce
Deos.

Funus & ORTELIJ doctus cum plangeret
tuis,

Ne pereant. I. CHRYSMA CUI
porque

Quæque penes tantum fuerant MONV-
MENTA Brabantos,

Te duce diuersas nunc adiere pla-
gas.

Congeris ERRANTES MVSAS, aperisq; la-
tentes,

A te sic lumen LIPSIVS ille capit.

Illius & FLORES carpis, necisq; corollas,

Ipsa quibus Pallas nil mage suaue
petat.

Proh quam Mercurium tibi habes Phœ-
bumq; fauentes,

Mercibus ex equo qui studijsq; vacas!

Miratur præfens, te postera sed colet atas,

Tam charo & CAPITI præmia digua
dabit.

Te LACHRYMIS planget, BVSTVM tibi con-
struet vltro,

Ornabunt MVSÆ FLORIBVS idque
suis.

I. Colius Ortelianus. Londini.

IN I. LIPSII FLORES

A

CL. VIRO FRANCISCO

SWEERTIO

collectos.

LIPSII erat varijs completus FLORIBVS
hortus,

Hinc dubius legeret quos Philomu-
sus erat.

SWEERTIUS eximios LIPSII decerpe-
re FLORES.

Doctus, eos certis conserit, ecce,
toris.

Iam, Philomuse, potes lectos admittere
odores,

Et manibus pactos sumere fasci-
culos.

Vive diu, SWEERTI, fessumq; vbi Fata vocâ-
rint, (put..

Perpetuis LIPSII FLORIBVS inde ca-

FRANCISCVS OPHEMIUS Scholæ
publicæ Mechliniæ RËCTOR.

DILIGENTIÆ CL. V.

FRANC. SWEERTI FLORES

ex horto Lipsiano colligentis.

Quisquis amans dolet occiduos vanes-
cere FLORES,

Quodq; breui perisset tēpore vernus honor
Hunc

Hunc intret, sibi quem patefecit SWEERTIVS, hortum,

LIPSIACVS nuper cui dedit esse labor.
Non hic lugebit fugitiuos veris honores,
Lilia cum breuibus mox peritura rosis.
Namque Amaranthæis hic FLORIBVS oblitus hortus,

Quorum etiam Brumæ tempore constat honor.

Hos quicūq; cupis diuturnos, carpito FLORES;

Horum omni nares tempore pascet odor.

I N E A N D E M.

ASpera hIEMS fVIt hæC, & sæVIS horrida Ventis,
Quamq; solet grauior cōtinuāte gelu.
Nulla tamen fuit hac vnquam fœcundior æstas;

Nec tanto, hæc vt hiems, flore beavit agros.

BARTHOLOMÆVS DE WINNE Mechliniæ
in schola publica Poësis Professor.

A D C L. V I R V M

F R A N C I S C V M S W E E R T I V M

Horti LIPSIANI cultorem peritiss.

DUice, sepulchrales tibi, LIPSI, munus,
honores

Grudia cum tota pube Minerua tulit.

Gratus

Gratus amor. Sed de tot dona ferrentibus
vnius

S V V E E R T I V S, ô quantum F L O R I S
honore præit!

Porro parentantes tanto præit interuallo,
Quo suus ex horto F L O S meliore ve-
nit. (rum

Confitus hic L I P S I manibus per lata via-
Hortus, anhelanti non sat apertus
erat:

Quem dum nare sagax hinc inde peragrat
odorans

S V V E E R T I V S, & iustâ singula lance
librat: (mas,

Colligit errantes per vasta volumina gno-
In classes redigens dogmata quæ-
que suas.

Atque ita quæ longo reperit quæsitâ labore,
Porrigit impensâ fercula lauta breui.

Æmula L I P S I A C Æ studiosa Iuuenta Suadæ
Huc ades, & pleno lilia carpe si nu.

At tu, MAGNESATOR FLORVM, quem mor-
te cadentem

Defleuit Mentis tota Palæstra bonæ:
Cerne Palæstritam hunc quis amor coquit?
ecce recenti (facit.

Tanquam mæstus adhuc funere iusta
Deposuerè alij pullâ cum veste dolorem,

S V V E E R T I V S æterno funera F L O R E
gemit.

I A C O B V S de Poythiers Scholæ
publicæ Mechliniæ Professor.

FRAN-

FRANCISCO SVVEERTIO
Patri suo chariff.

IDalios inter Flores, vmbraque rosarum
Ascanium fertur blanda aluisse Venus.
Tu me LIPSIACOS inter, Pater optime,
FLORES

Nutris, & præter quos legere, ipse
doces.

Carpam etiam, gratisque fruar mihi FLORIBVS: in me

Incaſſum fuerit nec tuus iſte labor.

IUSTVS SVVEERTIVS MECHLINIÆ
in ſchola publica Rhetor.



GAV-

GAVKO GAVKEMA


CANON. A QVISGR.

DE

CL. IVSTO LIPSIO.

VT VIRTUS, ITA LIPSIVS.
MVLTOŠ ÆMVLOS,
PAVCOSHABEBIT IMITA-
TORES.

INVIDERE, CALVMNIARI,
CONTEMNERE PRONVM
ET FACILE;
PARIA PRÆSTARE, NON
DIFFICILE TANTVM,
SED VIX POSSIBILE.



AD LECTOREM.

SI quid me fefellit, aut fugit, sit
Svenia. nemo ita industria aut
ingenio potest, vt omnia colli-
gat, intelligat: nec veto; imò pos-
co, vt manum alius addat. Beni-
gnè in me consulat, si quis mone-
bit aut suggeret, à te peto tantùm,

*Ne mea dona tibi studio disposita fideli,
Intellecta prius quàm sint, contempta relin-
quas.*

Nam multi iudicant, priusquam
legerint: quid? etiam priusquam
inspexerint quidam. Contem-
ptores scilicet honestarum artiũ,
& quorum voto iamdiu Doctri-
na onanis sit funus. Non audi, ô
Deus, neque Solem hunc è me-
dio tolle. Plato pleraque scriptorum
cum Adoniis hortis comparabat, qui subi-
tò & die vno nati, celerrimè pereant:
spero haud id eueniet huic no-
stro.

stro, quod laboriosè satum, vires
magis à tempore capiet, & Poëtæ
verbis,


Crescet occulto, velut arbor æuo.

Illud vltro profiteor, leues quas-
dam aut tenues Sententias inter-
currere: & vt auenam aut lolium
in meliore fruge. Quid mirum in
hoc numero? Facilis emendatio,
non lege, sed elige.

CL. LIPSI vitam, ex Elogiis
D. Auberti Miræi, à nobis in com-
pendium redactam, ad calcem
damus, adiunctis aliquot in eun-
dem epitaphijs. Vale æternum.




ADVER-











CL. V.

IVSTILIPSI

FLORES.



ADVERSITAS,

CRUX, CLADES.



ICVTI cū fulmen in
vnum aliquem cecidit,
etiam ij, qui in proxi-
mo stabant, tremue-
runt: sic in magnis cō-
munibusque cladibus
damnum ad paucos
peruenit, metus ad o-

mnes. *Ex Const. lib. 1. cap. 9.*

Vt flumina ad mare feruntur, perpeti &
prono cursu: sic res omnes humanae, per
cladium canalem labuntur ad suam metam.
Meta ea, mors & interitus: quibus Pestis,
Bella, Cædes, administri & instrumenta.
Ibid. cap. 15.

Vt arbores ventis agitatae, altius radices
agunt: sic boni in virtute magis compre-
hendunt, impulsu aliquoties aduersitatum
flabris. *Ibid. lib. 2. cap. 8.*

Clades iunt veluti gymnasium, in quo

A

DEVS

DEVS suos ad robur instituit & virtutem.
Ibid.

Vt ignis aut aquæ lustratio quædam adhibetur ad sordes: sic cladium ad peccata.
Ibid. lib. 2. cap. 9.

Vt medici sanguinem interdum prouidè demittunt, non quia æger sis, sed ne ægresceas: sic DEVS per clades quædam nobis adimit, materiem alias & fomitem vitiorum. *Ibid.*

Vt ad priuatâ cuiusque securitatem, priuati furis aut sicarij supplicio opus est: sic ad publicam, illustri aliquo & communi.
Ibid. cap. 10.

Vt ij qui magna plantaria habent, arbores alias transferunt, alias inserunt, alias excidunt, eaque omnia peritè administrât, & in bonum inq; fructum: sic in vasto hoc mundi agro, scientissimus ille cultor DEVS.
Ibid. cap. 11.

Vt cruciarij, Romano ritu, crucem suam ferebant, ipsi ab ea mox ferendi: sic impijs omnibus conscientix crucem DEVS imposuit, in qua pœnas luant, priusquam luant.
Ibidem cap. 14.

Vt nauatæ, cum in tempestate Geminos vident, spem magnam & alacritatem concipiunt: sic illi, quibus post clades apparuit tranquillitas. *Ibidem cap. 18.*

Vt medici, postquam viderunt & secuerunt satis, non omittunt statim ægrum aut deponunt, sed benigna fomenta &

acopa adhibent doloribus mitigandis: sic Deus illos, quos ferro & igne Sapientię suę purgasse satis videtur, lenibus quibusdam alloquijs fouet, & tractat manu, quod dicitur, molliore. *Ibidem.*

Vt grando tectis magno strepitu illisa, ipsa tamen dissilit: sic clades in firmum animum, si accidant, franguntur non frangunt. *Ibid. cap. 19.*

Vt amnium omnium confluxus in Oceanum: sic cladium videtur in hoc æuum. *Ibid. cap. 20.*

Quemadmodum quædam hastilia detorta vt corrigamus, adurimus & adactis cuneis, non vt frangamus, sed vt explicemus, elidimus: sic ingenia vitio praua dolore corporis animique corrigimus. *Ex lib. cont. Dialogistam.*

Vt Caprificus, cum ipsa maturas ficus non gignat, insecta tamen quædam producere dicitur, quæ veras ficus maturent, scalpendo, morficando: sic multi nullum gignunt fructum, nisi & mordicatum, & duriter Cruce exerceantur. *Ex Dial. de recta Pronunt.*

Sicut nube ingruente sub tectum confugimus: sic in calamitate ad Sapientię arcem, quam fortuna nullis machinis euertit. *Centur. epistol. ad Ital. & Hisp. epistola 2.*

Vt quibus parte aliquâ corporis dolet, etiam ignari manū illic habēt: sic nos linguâ

in afflictione. *Cent. ad Germanos & Gallos, epist. 30.*

Vt torrem semi-ustum è foco qui tollit, non parte arripit, & tractat quâ incanduit: sic nos deceat, non acerba hæc & vrentia casuum tangere, sed magis benigna in ijs aut læta. *Cent. 1. ad Belg. epist. 5.*

Sicut nautis vel eminus conspecta Pharus lucem & solatium adfert: sic nobis afflictis absentium amicorum affectus. *Cent. 2. ad Belg. epist. 70.*

Sicut Minerua illa apud Homerum, Pandari sagittam arcuit ab interiori corpore Menelai, cutem duntaxat eius passa stringi: sic nobis salus sit, etsi attritis & afflictis. *Eadem Cent. epist. 64.*

Sicut ventus triticum non rapit, sed paleas secum in auras tollit: sic aduersa ista leues tantum animos auferunt, bonos & in virtute firmos non euertunt. *Cent. 3. ad Belg. epist. 81.*

Vt spinas aut tribulos, etsi adhærentes aut amplectentes, dimouemus; ad poma aut vvas vtrò manus porrigimus: sic in isto casu (de morte loquitur) quod iuuare aut alleuare potest, apprehendamus; pungentia illa & noxia, etsi offerunt se, depellamus. *Cent. miscell. epist. 93.*

O quam vtile multis, frænum & coercitio hæc morbi! nam reuera, sicut Athenienses de Pace, non nisi atrati cogitabant: ita plerique nostrum, vix de DEO nisi adfecti. *Cent. 3. ad Belg. epist. 4.*

Mouent vulgo, turbantq; homines mala publica, non quia plurimum id damnum, sed quia inter plures eos ipsi. *Ex Constant. lib. 1. cap. 8.*

In hac omni vita nullum tam optabile aliquid bonum est, quod non mixtum poculo aliquo mœrorum. *Ex cent. 2. epist. 43.*

DEVS publicas clades immittit, alit, fouet; & tum finiet, cum earum causas: eæ autem peccata sunt. *Cent. ead. epist. 6.*

Quem DEVS diligit, per æqua, per iniqua, per fluxus & refluxus perueniet ad suum portum. Utinam nos ad illum salutis! *Cent. miscell. epist. 2.*

In secundis, nemo confidat, in aduersis nec diffidat: alternas vices sunt rerum. *Ex Manuduct. lib. 3. Dissert. 1.*

Stulti mortales DEVM inscribunt claudibus auctorem: sese debet. Non enim ille, nisi ob proprias eorum culpas, hæc immittit, nec Fato simpliciter, nisi ad textu causæ talis, destinauit. Punit, sed quia peccarunt. *Ex Physiol. lib. 1. Dissert. 15.*

A D V L A T I O & A S S E N T A T I O.

Assentatio, vitium ita inhærens & affixum Aulæ, ut desperem (nisi apud magni excellentisq; animi Regem) posse euelli. *Ex notis ad Politica.*

Maneamus in modestia, in bonorum studio, nec vela ad blandientiû sermonum

AFFECTVS.

Sicut bonæ plantæ in feraci agro, si negligantur, syluescunt & horrescunt: cultura adhibita, vtilis & fructifera fiunt: sic affectus. *Ex Manu. ad Stoic. philos. li. 3. Diss. 7.*

Vt ij qui febriunt, iactant se inquiete, & versant, & lectum subinde mutant vanâ spe leuamenti: ita vanitas est, nos qui fontem fomitemque mali circumferimus, & telo affectuum penitus percussi sumus, velle quouis terrarum fugiendo illud excutere, aut internam plagam motu & discursu sanare. *Ex Constant. lib. 2. cap.*

Vt ij qui per timorem terga vertunt, magis se exponunt periculo intectos & auersos: sic tyrones & erronei, quibus cum affectibus nunquam pugna fuit, sed tantum fuga. *Ibid. cap. 3.*

Vt vitis, nisi amputes, latissimè se spargit: sic affectus, quibus aura aliqua velificatur popularitatis. *Ibid. cap. 11.*

Vt lignum occulta teredo consumit: sic animum delimat paulatim & exedit ignavus affectus. *Cont. 2. epist. 38.*

Vt oculi vbi glaucoma obsidet, puriter non vident: non item mens, vbi adfectus. *Ibid. epist. 97.*

Vt ignis per obstantia eluclatus, clariore flamma emicat: sic clausi antea affectus,

via facta magis se aperiunt. *Cent. sing. ad German. & Gallos, epist. 58.*

Sicut amnes, mare qui influunt, calsuginem eius non mutant: sic in te quicumque affectus, ne diluant iustitiæ severitatem. *Cent. 1. ad Belg. epist. 56.*

Vt oculus, in quem humor illapsus est, parum clarè videt: sic mens in quam affectus. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 6.*

A M B I T I O.

SICUT ille ab igne oculos morficat & inumbrat: sic iste ab ambitione, lumen omne mentis. *Cent. 2. ad Belg. epist. 69.*

Quam pauci hodie, qui seriò & utiliter ad artes eunt! plerisque Ambitio proposita, & scientiarum vana. *Cent. 1. ad Belg. epist. 7.*

Ambitio & Auaritia saepe velatur Religionis mantello. *Contra Dialog.*

Dux pestes humani generis Ambitio & Auaritia. *Cent. Miscell. epist. 49.*

A M I C I T I A & A M O R.

VT vulgò amantes nihil æquè auent, ac colloqui: sic puto in vera animorum amicitia esse, qui gaudent affatu se aperire & iungi, aut certe seriptione eius vicem. *Ex Cent. 1. ad Belg. epist. 60.*

Vt oculus in quem humor aut phlegma illapsus, parum videt: sic animi acies, quæ Amor inumbrat. *Ibid. epist. 36.*

Ut aqua igni admota calefcit: fic noſtrum frigus ad amici ardorem. *Ibid. epift. 39. Cent. 2. ad Belg.*

Sicut nauis, vel eminus conſpecta Pharus lucem & ſolatum adfert: fic nobis adſictis abſentium amicorum affectus. *Ibid. epift. 70.*

Sicut ſolem, qui iucundum habemus, etiam cereum noctu aut candelam: fic in Amicitia, cum præfertim cauſa aliqua ſubduxit, grata eſt ſcriptio, quæ vicem eius refert. *Cent. 2. ad Belg. epift. 74.*

Ut ignis ſine materie languet, aut deficit: fic Amor ſine honeſti alimento. *Cent. 3. ad Belg. epift. 6.*

Sicut facem ad accendendum fruſtra ad moueas, quæ ipſa non accenſa: fic in amore conciliando euenire ſolet, & fruſtra eum poſcit, qui non adfert. *Cent. ad Germ. & Gallos, epift. 44.*

Sicut agricola, in locum amiſſe arboris aliam ſubſerit: fic nos in amicis oportet. *Cent. miſcell. epift. 35.*

Ut athletis olim, munimenta quædam aurium apponi mos (*ἀυφώριδας* vocabant) ad vitandos iccus: fic firmum velamentum aurium contra amatoria vulnera, *Amatorium nil audire. Cent. 1. epift. 22. ad PHILIPPVM LANOYVM nobiliſſ. iuuenem.*

Ut ſerenitas nauis gratior in tempeſtate aduenit: fic lugenti amico amicus. *Ibid. epiftol. 62.*

Vt pyrites gemma ignem in se habet, sed non sine attritu exferit: sic apud multos amor, sed tacitus, literis educitur. *Cent. 4. miscell. post. epist. 50.*

Nisi cenuram liberè in amicitia admittimus, tollimus pulcherrimum eius fructum. *Cent. 1. epist. 58.*

Vis tibi monstrari amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine? SI VIS AMARI, AMA. *Ex Commentario in C. Plinij, Pateg. Traiano dictum.*

Vbi animorum illud vinculum (Amicitiam dico) etiam affectuum unctio & puritas quadam sit oportet, aut sinceram non esse. *Cent. 1. ad Belg. epist. 5.*

Bene & sæpè utiliter opera sumitur, quæ amico aut officio imputatur. *Ibid. epist. 72.*

Amoris hoc proprium, etiam cum sua noxa, benefactum velle illi, quem ames. *Cent. 3. ad Belg. epist. 21.*

Amantes, abiuncti paululum aut exclusi, acrius amant aut redeunt. *Ibid. epist. 27.*

Suaues semper & fidi amores primi: ego experior: nec cogitatio vnquam aut sermo animum auresue tangit veterum sodalium, quin commouear & exultem. *Cent. 1. ad Belg. epist. 2.*

Est natura insitum, vt amemus fauoremque ijs, quos putamus operâ nostrâ meliores, aut instructiores. *Cent. miscell. epist. 8.*

Amicitia quæ desinere potest, vera nunquam fuit. *Cent. ad Germanos & Gallos, epist. 43.*

Amor, humani generis nectar, suavior graviorque est, cum à superiore illo Amore venit, id est, Honesti & Boni. *Cent. Miscell. epist. 98.*

Quid Amicitia melius? si in plures nimis diffusa, turbat, & quod utilissimum in vita est, tempus eripit aut partitur. *Cent. 3. ad Belg. epist. 49.*

Amicis summum precandi genus est, VELLE. *Cent. 2. epist. 20.*

Quid iucundius, quam cum amicis versari, diu non visis, aut vix visis? *Ibid.*

In amore, cum oculi cupidè quod amant intuentur, non solum mens, sed etiam lingua obmutescit. *Lib. 1. Antiq. lect. cap. 13.*

Quid æquius, verius, quam amare qui amat, & quod sponte ac Naturæ quadam lege debemus (homo enim sociale animal) promptius fideliusque præstare, altero invitante. *Cent. 4. Miscell. post. epistola 96.*

Falsus amor plus nocet, quam profusum odium. *Ex Comment. in C. Plinij Pæmegyr.*

Non minus monere amicos prompti esse debemus, quam laudare. *Ex dialogo de Pronunt. cap. 1.*

ANIMA & CORPVS.

Anima & Corpus, sunt duæ in homine partes iunctæ, inter se concordia quadam discordi: nec facile inter eas conuenit, vtiq; cùm de imperio agitur aut seruitute. Regere enim vtraq; vult, & magis illa, quæ non debet. *Ex Constant. lib. 1. cap. 5.*

Quò longiùs in hac vitæ via progredimur, magis magisque aspicimus circumfusam animo caliginem, corpori imbecillitatem. *Ex lib. de Cruce.*

Non deformitate corporis animus fœdatur, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Ex lib. 3. de Manud. Dissert. 17. Ex Seneca.*

Formosa corpora, etiam in morbo, vestigia decoris sicut retinent. *Cent. 3. ad Belg. in præfat.*

Humiles & plebeia animæ domi residēt, & adfixæ sunt suæ terræ: illa diuinior est, quæ cælum imitatur, & gaudet motu. *Cæt. 1. epist. 22*

ANIMVS & MENS.

Vt nauis vacua & inanis circumagitur in mari omni vento: sic in nobis vaga illa mens, quam pondus & tanquam saburra Rationis nõ stabiliiuit. *Ex Constant. lib. 1. cap. 5.*

Vt oculus, qui per nebulam aut aquam inspicit, res metitur falso modo: sic animus, qui per opinionis nubem. *Ibid.*

Vt lana, priusquàm vltimū illum & opti-

mun colore combibat, succis quibusdā alijs præparanda & imbuenda est: sic animus veritatis purpurâ sermō est tingendus. *Ibidem.*

Ut imbecilli, maliq; oculi nota est, lippire ad conspectum lippientis: sic animi dolere viso dolente. *Ibid. cap. 12.*

Ut pictores, longa intentione hebetatos, oculos ad specula quædam & viros colliunt: sic multi, in hortis animum defesum aut aberrantem. *Ibid. lib. 2. cap. 3.*

Ut papilionēs, & minuta quædam animalcula vespere lucernæ lumen identident circumuolitant, donec amburantur: sic humana mens lasciuit circa arcanā mysteriorum flammam. *Ibid. cap. 12.*

Ut muscæ, & eiusmodi insecta, læuibus politisq; locis non diu insident, scabris adhærescunt: sic querula mens, meliorem sortem leuiter transuolat, asperam non dimittit. *Ibid. cap. 20.*

Ut columna quæ recta stat, imposito magis pondere firmatur: sic altas rectasq; mēzes oportet non cedere oneri, sed obniti. *Ex lib. de Cruce, in præfat. ad Brabantia Ordines.*

Ut oculi, qui huc illuc fleduntur, intentè nihil vident: sic mens quæ auocatur. *Ex lib. 4. de Milit. Rom. Dial. 5.*

Ut athletæ in stadio oculos ad metam & brauium intendunt: sic nostra mens debet ad cæium & æternam illam palmam. *Cent. sing. ad Germ. & Gallos, epist. 5.*

Vt corporum quidam morbi, certis temporibus interueniunt: sic morbus animorum est, vt disputare & quæstiunculis lasciuire homines malint, quam piè viuere. *Ex lib. aduers. Dialogistam.*

Vt generosas feras cauea domat & frangit, sic altas mentes vrbicus carcer. *Cent. 1. epist. 8.*

Vt ij qui phrenesi laborant, irritident aut verberant suos medicos: ita plerique eò stultitiæ venerunt, vt aspirare ad bonam mentem nolint. *Ibid. epist. 43.*

Vt nauis, quæ inter fluctus sine clauo iactatur: sic mens, quæ in hac vita sine sapientiæ gubernaculo. *Cent. 2. epistola. 8.*

Vt lignum occulta teredo consumit: sic animum delimat paulatim & exedit ignauus affectus. *Ibid. epist. 38.*

Vt oculi, vbi glaucoma obsidet, puritet non vident: non item mens, vbi affectus. *Ibid. epist. 97.*

Vt gubernator fluctus assilientes negligit, manum in clauo habet, oculos in astris: sic nos oportet, quod bene agimus agere, & mentem ad DEVM referre. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 2.*

Vt is qui iaculari alium docet, satis habet manum oculosque eius dirigere ad certos quosdam scopos: ille deinde arte ea vtitur in quocunque loco aut iateruallo: sic Animus, qui semel principia firmiter
hauit-

hauserit, facile ad alia transferet, nec monitorem in singulis requireret. *Ex lib. Polit. in praf. ad lector.*

Vt ij qui vincti & impediti sunt, membra habet ad vsum, nec vtuntur: sic mens, lingua, stylus, adstricta ad morbi catenam. *Ex prafat. Annalectorum.*

Vt in magnum conuentum ac Panegyrim, qui veniunt, partim emunt, partim vendunt, honestissimi quique spectandi gratia fruuntur: sic animus ingenuus, & altæ originis suæ memor, non emit, vendit, agellos, pecudes, ædes, magistratus, sed causas magni conuentus, & quæ in eo, inquirat: Quis mundum hunc condidit? quis administrat? quæ illa mira in aère, tonitru, fulmen, venti? qui in cælo perennes & lucidi ignes? mare cur vices suas fluendi refluentiq; habet? in terra quid est, quod eam concutit & mouet? &c. *Ex libro 1. physiol. Dissert. 2.*

Sicut oculum, non nisi oculus videt, sed in speculo: sic sese animus quodam reflexu. *Ibid. lib. 3. Dissert. 3.*

Quemadmodum flamma non potest opprimi: nam circa id diffugit, quo vrgetur: Quemadmodum aër verbere aut ictu non læditur, nec scinditur quidem: sic animus, qui ex tenuissimo constat, deprehendi non potest, nec intra corpus affligi: sed beneficio subtilitatis suæ, per
 ipsa

ipsa, quibus affligitur, erumpit. *Ibid. Diss. II. Ex Seneca.*

Vt Solem sæpè cum se explicuit, alia nubes excipit & intercipit: sic fit menti humanæ. Quædam pertumpit, & clarè videt: ad alia caligat. *Ex lib. 4. de Milit. Rom. Dialogo. 3.*

Vt in scæna partes qui peregit, personam vestemque ponit, & libens domum abit: sic noster hic animus, à temperario theatro in ætheream illam sedem. *Cent. 2. ad Belg. epist. 69*

Vt oculi, etsi agiles, supera & infera simul non aspiciunt: sic nec nostra mens dat se vno tempore ad diuersa. *Ibidem epist. 16.*

Sicut terra interiecta, Luna lumen à Sole amittit: sic animus obnubilatur interuentu viliorum rerum. *Cent. Miscell. epistola. 49.*

Vt in præceps lapsis corporibus, nullum sui arbitrium est, rapiuntur: sic animus in libidinem, amorem, iram proiectus, non sistit se vbi vult, aut cum vult, sed quo non vult, fertur. *Ex lib. 3. Manuduct. Dissert. 7.*

Vt melancholici morbi, medicina omniferaantur: sic est in imaginoso animi morbo. *Ex lib. aduersus Dialog.*

Sicut currus in præcipiti aut decliui, fune retinentur & se sistunt: sic animus debet, vbi quæ allubescunt aut inui-

tant. *Cent. 4. Miscell. postumâ, epistolâ 37.*

Ut ij qui cum Rege aut Principe in aula versantur, viliores res hominesque fastidiunt: sic qui animum ad diuina applicant, tenuia hæc & humana. *Cent. 2. ad Belg. epist. 2.*

Ut flores quosdam esse scimus, qui non nisi ad Solem se vertunt: sic nos mentem à nubilis istis auertamus, vel ad diuina, vel ad amœna. *Ibid. epist. 11.*

Ut aquæ diutino situ vitium contrahunt: sic nostri animi assiduâ vel sessione vel quiete. *Ibid. epist. 47.*

Sicut ventus triticum non rapit, sed paleas secum in auras tollit: sic aduersa ista leues tantum animos auferunt, bonos & in virtute firmos non euertunt. *Cent. 3. epist. 81.*

Ut aranearum calles animalia fortiora perumpunt: sic istos à Fortuna laqueos mens robusta. *Cent. Miscel. epist. 59.*

Sicut stellæ in tenebris etiam fulgent: sic liquidus & libens viri sapientis animus etiam in ista temporum caligine aut nube. *Ibidem.*

Firmandus ita formandusque hic animus, ut quies nobis in turbis fit, & pax inter media arma. *Ex Constant. lib. 1. cap. 3.*

Audita mala leuius ad animum accidunt, quam visa. *Ibid.*

Mihi firmum, plus mentem quam manus valere, plus industriam quam omnes opes. *Cent. Miscel. epist. 94.*

Non verba, sed pectus & vis mentis est, quæ disertos facit. *Ibidem, epist. 100.*

Compositæ mentis signum est posse consistere, & secum morari. *Cent. 1. ad Belg. epist. 94.*

Bonus animus, & sibi conscius, summum bonum est. *Cent. 2. ad Belg. epist. 85.*

Ad vnam Sapientiam te mitto, & supremam hanc eius legem, *externa spernere, sola illa animi asstimare.* Hæc æterna, illa fugacia: hæc ama igitur & amplectere. *Cæt. 2. ad Belg. epist. 73.*

In nobis est, quidquid mirabile: alta & diuina illa pars, quam si colimus, quod homine dignum est facimus, & meliore illâ origine nostri. *Ibid. epist. 58.*

Attollit se magis, erigitque ad alta iste animus, cum liber & solutus videt suum cælum: quam cum ædium aut urbium carceribus inclusus. *Ex Constant. lib. 2. cap. 3.*

Solida, non in ventum docta mens, quod diutius discit, in re plura, in opinione pauciora nouit. *Cent. Miscell. epist. 96.*

Bona mens, in omni lingua promit se & reuelat. *Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 22.*

Vera animi quies à Deo primum, deinde à Sapiencia & literis est. *Ex lib. 1. epist. quæst.*

Mens hominis, momento summa, ima, propinqua, dissita, permeat & peruadit. *Ex admirand. lib. 3. cap. 13.*

Alti, æthereique animi, ut ipse æther gau-

gaudent motu. *Ibidem lib. 4. cap. 13.*

A corpore si æger sis, medicum non differas : mentis sanitas neglectui aut procrastinationi erit? *Ex Manud. lib. 1. Dissert. 1.*

Hic est magnus animus, qui se DEO tradidit. *Ibid. lib. 2. Diss. 16.*

Non deformitate corporis animus fœdatur, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Ibid. lib. 3. Dissert. 17.*

Beatus est, qui bonam mentem, & vna o-
pes habet. *Dissert. 24.*

Potest ex casa vir magnus exire : potest &
ex deformi humilique corpusculo, formo-
sus animus ac magnus. *Ex Seneca, lib. 3. Ma-
nud. Dissert. 17.*

Animus momento omnia peruadit, fide-
ribus velocior, cogitatione velocior, tem-
poribus velocior. *Ex Physiol. lib. 3. Dissert. 19.*

Solus animus & eius actiones æternæ.
Cent. 1. epist. 51.

Nihil hominis tam proprium, quam eri-
gi & spectare alta, id est, quæ ad ætheream
partem pertinent, cælitus immissam nobis
mentem. *Cent. 2. epist. 6.*

O non calumnia, sed crimen Deo eripere
quod DEI est, & penetrare se velle, atque ar-
bitrum agere animorum. *Ex epistola ad
Franciscum Surrentium.*

ARTES & LITTERÆ.

Sicut miles pugnae per lusoria certamina
se preparat : sic nos Sapientiae per artes
libera-

liberales debemus. *Ex Manuduct. ad Stoicā philosophiam, lib. 1. Dissert. 2.*

Vt personæ histrionum, et si pulchræ, vsum non habent, nisi faciei, applices: sic Litteræ per se inanes, Sapientiæ admouendæ sunt. Nam solitaria illæ, quid nisi leuem oblectatiunculam, aut otij deceptionem habēt? cuius errores (ait Seneca) minuent? cuius cupiditates premēt? quem fortio rem, quem iustio rem, quem liberalio rem facient? *Ibid.*

Quemadmodum ansæ humorem non continent, vasi tamen necessariæ sunt ad vsum: sic de Litteris, Sapientiam non habent, sed conferunt ad habendam. *Ibidem.*

Vt ij quos antiquitas delectat, non solidas tantum statuas, sed & auullsum crus & fractum brachium capiuntur cernere: idem nobis vsu venit in Literis. *Lib. 2. antiq. lect. cap. 4.*

Vt stirpe arbores, fundamento ædes; sic litterarijs elementis ardua doctrinarum nixa, sed vt ista latent, sic etiam illa. *Ex lib. de Pronunt.*

Sicut bonus architectus & nouas domos parat, & veteres reparat, vtrunque cum laude: simile Litterator vel Criticus. *In disputation. not. cod. Mirand.*

Vt aqua maris dulcior in imo est, quam in summo: sic suauiora studiosis erunt liberalium artium studia cum penetrauerint. *Ex præfatione ad Tacitum.*

Vt ar-

Ut arbores quædam fructum non ferunt, nisi alijs velut maribus adlitæ: sic literæ, nisi cum virili Sapientiæ robore coniunctæ. *Ex lib. 2. de Const. cap. 4.*

Sicut floribus, alijs ad odorem aut ad spectum vtuntur tantum, apes etiam ad mellificium: sic sedulæ mentes debent in fructum & vsum traducere studia hæc literarum. *Cent. 4. Miscell. post. epistola 31.*

Vt enim fruges non bonitas soli tantum gignit; sed cœli Solisque focus & temperies educit atque elicit: sic ingenia & artes, non à natura tantum velut solo alenda, sed procerum benignitate, & velut cœlesti aura, fouenda atque attollenda sunt. *Ibid. epist. 73.*

Vt nihil profit clavis aurea, quæ non aperiat: sic splendida illa doctrinarum, quæ ad hæc sacraria (placidam illam virtutem & vitam) non ducant. *Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 44.*

Sicut vomere solo terra scinditur, neruis in citharâ sonus editur: sed adiungi tamen alia membra partesque opus, decori, commodi, imò & perfectionis causâ: sic in arduâ istâ artium censemus, esse quæ iuuent aut oruent. *Cent. Miscell. epist. 97.*

Vt enim maior dolor est, cum nauis omnia perit, & in ipso portu: sic nobis iure, si quidam ad alia eant aut mutant, qui in virtute & litteris promo-
uerunt.

nerunt. *Cent. ad Ital. & Hisp. epistola 57.*

Languetiam optimarum rerum artium-
que amor, ut ipsæ res optimæ: & quidlibet
in pretio magis est, quam quod pretio nul-
lo. *Cent. 4. Miscell. post. epist. 31.*

Amœniora hæc studia iacent valde, ut
pleraq; honesta in publica hac tempestate
& bellorum nimbis. *Ex præf. Synt. de Vestra
& Vestalibus.*

Doctrinam para, quæ non in pompam
tibi solum fit, sed in usum. Ad Sapientiam
conuertere, quæ mores tibi corrigat, quæ
animum turbidum sordidumque trāquil-
let & illustret. *Ex Const. lib. 2. cap. 4.*

Quam pauci hodie, qui seriò & utiliter
ad artes eunt! plerisque ambitio proposita,
& scientiarum vana: qui solidum crepent,
& virtutem veram cum sapientia amant,
verè pauci sunt. *Cent. 1. ad Belg. epist. 7.*

O litteræ, litteræ! quam semper à vobis
aliqua vanitas! & quam illud hîc verum,
oportere omnibus corydalis cristam inesse. *Ibid.
epist. 10.*

Litteras summum solatium & utilissi-
mum instrumentum censere licet humanæ
vitæ. *Ibid. epist. 39.*

Scientia litterarum non modò nihil no-
cet religioni atque iustitiæ, sed etiam pro-
dest plurimum: si is, qui eas didicerit, sit
virtutibus instructior, & veritate sapien-
tior. *Contra Dialogist.*

Artes non ornamenta solum Reipub.
sunt,

sunt, sed etiam auxilia & fulcra. Tollantur, quid nisi squallor & tenebræ occupant, & ferox quædam, aut vt verius dicam, ferina vita? *Ex lib. de Cruce, in præfatione ad Brabantia Ord.*

Artes pacem dirigunt, bellum dirimunt, vitia virtutesque premunt, aut excitant, testes temporum, arbitra meritorum. *Ibid.*

Liberalium artium consecrario molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit: & ideò non discunt necessaria, quia superuacua didicerunt. *Ex Senec. Dissert. 1. Manud. ad Stoic. Philos.*

Omnino ruditas illa animi, & vt sic dicam agrestis ferocitas exuenda per has verè humaniores artes, est & homini humanitas reddenda. *Ibid. cap. 2.*

Hodie nullus honos artibus, à quibus verus omnis honos. *De milit. Rom. lib. 2.*

Nemo artem profiteatur, quam non didicerit. *Ex lib. 5. de Militia Romana, Diak. 20.*

Vera animi quies a DEO primùm, deinde à sapientia & litteris est. *Ex lib. 1. epist. quest.*

Sapientiæ præparare ingenia nostra litteræ debent. *Ex Const. lib. 1. cap. 4.*

Litteraria hæc vita & otiosa tranquillitas, quid non habet commodi? *Cent. 1. epist. 12.*

Quidquid artium ad opes ducit, ducit ad vitia, nec animos solùm emollit & effeminat, sed corpus. *Ibid.*

Litteræ magnum in paranda virtute ad-

adiumētum, vel in parata ornamentum. *Ibid. epist. 16.*

Prouidentia DEI per gentes ætatesque spargit artium flores, & magnum hunc mundi hortum, velut per areolas variè colit. *Ex not. dispunēt. Mirandul. codicis.*

Doctrinæ aut litterarum studia quo eāt, videmus: in terras certè alias, aut fortassis eo denique, quo olim Astræa. *Cent. Miscell. epist. 64.*

Producendi viri docti & optimæ artes: sine quibus parum ornata aut instructa Resp. vlla aut fuit vnquam, aut erit. *Ex dedicat. Cent. 2. ad Belgas.*

Abite litteræ, & tot labores, si nomen aut fama tantum, id est, nugæ & vanitas, ex ijs quærantur. *Cent. 3. ad Belg. epist. 39.*

Fama tantum longa bonis studijs artibusque parari potest, ac vita æterna bonâ hic vitâ. *Cent. ad Germanos & Gallos, epist. 5.*

A V A R I T I A.

Avaritię da modum, Frugalitas est: Profusioni, Liberalitas; Ambitioni, Magnanimitas. *Ex lib. Manud. 3. Diff. 7.*

Miserum mancipium, qui Libidini, Auaritiæ, alijsque vitijs subijcitur: erectum & liberum, qui euasit. *Ibidem Dissert. 12.*

Ambitio & Auaritia sæpè velatur Religionis mantello, *Contra Dialog.*

Ambi-

Ambitio aut Auaritia multa regna & oppida euertit. *Cent. 1. epist. 44.*

Duæ pestes humani generis, Ambitio & Auaritia. *Cent. Miscell. epist. 49.*

Multi res suas agunt & augent communitium prætextu. *Cent. Miscell. epist. 37.*

Fines habendi nobis ponamus, & quod Naturæ satis est etiam cupiditati. *Ibidem. epist. 41.*

Pestem illam Auaritiæ vitemus, Iustitiæ ipsum exitium & pestem. *Cent. 2. ad Belg. epist. 39.*

Iasonas & Argonautas hodie vides? fuge, non ad Astræam, sed ad Medeam & auream pecudem nauigant. *Ibid.*

A V L A.

MAre qui intrat & nauigat: fluctus expectat: qui Aulam, motus. *Cent. 4. Miscell. post. epist. 33.*

Sub malis virtus odio est: & qui grati aptique Aulæ esse volunt, eiurant probitatem. *Ex Comment. in C. Plinij panegy.*

Quicquid humani generis floris est, habere Curiam decet. *Ex Admirand. lib. 4. cap. 2.*

Cauendum ab aulicis corruptoribus in ipsa Aula, & nil nisi serium ac probum ad iuniores Principes admittendum. *Ex notis ad Politicæ.*

En ludibria vitæ & iactationes hominum! quibus nihil vsquam, per vllam sapientiam,

entiam, est certi, non certè in lubrico illo culmine est, fastigio aulæ. *Ibid.*

O boni, lubrica vestra vita est & via, qui in Aula versamini: in qua vt verè vir sanctus dixit: *Per pericula peruenitur ad grandius periculum.* *Ex lib. 3. Politicor cap. 11.*

Aula viro modesto non placet, vbi fumi & fuci multum. *Cent. miscell. epist. 81.*

Assentatio, vitiù ita inhaerens & affixum Aulæ, vt desperem (nisi apud magni excellentisque animi Regem) posse euelli. *Ex notis ad Politicæ.*

BELLVM vide MILITIA.

BENEFICIA vide MVNERA.

BONITAS.

VT radij Solis in fordes & caligantia loca coniecti illustrant, non inquinantur: sic boni inter feros squalentesque animos resplendent nihilominus verâ virtutis suæ laude. *In præfat. ad lib. Saturnaliū.*

Vt aqua in ligno aut leui lapide facilè ducentis digitos sequitur: sic boni preces bonorum. *Ex lib. 4. de mil. Rom. Dial. 8.*

Culpare non potes aliquid malum aut acerbum in eo & ab eo, qui Bonitas & Bnignitas totus. *Cent. 1. epist. 61.*

Simus boni beatique etiam in malo æno. *Cent. 3. epist. 19.*

VT athletæ in stadio oculos ad metam & brauium intendunt: sic nostra mens debet ad cælum, & æternam illam palmam. *Cent. singul. ad Germanos & Gallos, epistola. 5.*

Cælum vera homini germanaque patria est, ad quam adipiremur, vt cum Anaxagora ex animo possimus dicere fatuo huic vulgo quærenti, NIHIL TLBI CVRÆ PATRIA EST? Mihi vero illa patria, & digitum mentemq; in æthera intendamus. *Ex lib. 1. de Const. cap. 11.*

Quis nõ dicam lingua efferat, sed mente felicitatem capiat, vbi Regnum est DIVINITAS, & lex CARITAS, & modus ÆTERNITAS? vbi vita non nisi gaudium, & sensus omnis in DEO defixus, in consortium felicitatis eius transit? *Cent. 5, miscell. epist. 27.*

Nihil hominis tam proprium quam erigi, & spectare alta, id est, quæ ad ætheream partem pertinent, cælitus immissam nobis mentem. *Centur. 2. epistola. 6.*

Alta aspice, & vnde veneris, quid veneris, seridò attende. Cælestis origo & imago: quid terrenum aliquid delectet aut teneat? *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 82.*

Nihil liquidi in rebus humanis: in alto hoc erit. *Ibid. epist. 82.*

Quicquid sit aut erit, iuuat præiuisse ad
alta

alta & ætherea : capiat qui mente est tali;
 qui non, tenebras suas amet, & iactetur in
 vndoso mari, *Cent. ad Germanos & Gallos,*
epist. 61.

Generosa & Herculea hæc ad calum
 via est, per æstum perque ignem. *Ex Cent. 1.*
epist. 81.

CALVMNIATOR & CALVMNIA.

VT in naui, nemo vectorem ferat qui
 nautas moneat, identidem aut culpet,
 ipse interea imperitus, manum, non dicam
 clauo admouere, sed remo: ita meritò im-
 portuna nobis & molesta vascula hæc ina-
 nia, quæ maximè tinniant, & liquoris mi-
 nimum habent. *Ex Oratione de Calum-
 nia.*

Omne ego vitium detestandum & fœ-
 dum fateor: verum hoc eximiè, quod non
 solum in fœdis, sed natum & conflatum
 (de Calumnia loquitur) è fœdis. *Ex oratio-
 ne de Calumnia.*

Vt conuallium ille sonus, quem Echo
 dicimus, pro vna voce accepta, duos tres-
 que reddit: sic Calumniator geminat visa
 & audita. *Ibidem.*

Quod medici de cucurbitis dicunt,
 quas corpori affigunt, non nisi prauum
 eas vitiosumque sanguinem educere: ve-
 rius de Calumniatore, qui adtrahit ad se nõ
 nisi mala. *Ibidem.*

Sicut aranæ casles & filamenta mita arte è iuo corpore gignūt: sic Calumniator fraudium argutos laqueos suopte ingenio necitit. *Ibid.*

Athletæ in cursu, nō eos respiciunt quos reliquerunt, sed intendunt saltem in priores: sic Calumnia dirigitur in meliores. *Ibid.*

In ludis olim & arena obieruatam fuit, tauros purpura & rubore maximè concitari, qui tamen pulcherrimi sunt colorum: simile in Calumniatoribus licet dicas, quorum virus prouocat ipsa Virtus. *Ibid.*

Vt fulminis subtilis illa vis omnia peruadit: sic Calumnia quamuis seposita & clausa perurit. *Ibid.*

Tempestatem nobis nubes denuntiant, incendium fumus, hostem explorator: at subita & improuisa perniciēs est à Calumniantē. *Ibid.*

Videtisne minutos illos canes & degeneres, qui hospites allatrant, feras non tangunt? tales deteriores isti hominum, qui lædere tantum innoxios nati & vexatō. *Ibid.*

Vt scorpionum, si manu teneas, ludere paulisper videtur, mox ferit te obliquā caudā: tale imò amplius in Calumniatore est, à quo cum lædi nihil timeas, iam læsit. *Ibid.*

Vt ij qui ruere ædificia volunt, columnas primò subtrahunt: sic Calumnia, cui perdere humanum genus libido sit, perdit eos, quibus innixus publicus hic status. *Ibi.*

Vt locis lauibus & politis ægrè sordidū aliquid adherescit : sic maledictum sedem vix inuenit in vita puriore. *Ibid.*

Vt ferrum ignitum tangere sine noxa nō est : non item assistere amburentibus hisce linguis. *Ibid.*

Morbo calumniae id quoque proprium, vt si in alienos dicere nihil habeant, in suos dicant, atque adeò in sese. Vt in longa fame, corpora nostra alimento defecta, ipsa se depascuntur: simile euenit in istis. *Ibid.*

Vt bonus & animosus miles, leuia & circa galeas crepitantia tela contemnit: sic vir robustus & sapiens dictetia. Quid enim tibi tollunt? Famam? bona ea semper erit apud bonos. Virtutem aut Sapientiam? non subiacent ea arbitrio humano. *Ibid.*

Vt in via si canis aut equus luto me adspergat, non excandescō statim, & vicissim in illum regero; sed potius me purgo: ita cum Calumniatoribus faciendum, & pro caniculis aut equuleis habendi, qui non iudicio, sed impetu & proteruia lædunt. *Ibid.*

Vt corporibus in præceps iactis, nullum ultra sui arbitrium est, nec eunt sed feruntur: sic Calumniator, qui semel ad calumniandum conuiciandumq; se proiecit, abit extra omnem honesti metam. *Ex lib. de vna religione.*

Vt scopulus assilientes vndas sine motu villo suo frangit: sic nos Conuiciatores

sine acerbitate vlla aut ira. *Ibidem.*

Vt tela quædam in cælum emissa, ire eò videntur, non eunt: sic malitiosorum Calumniæ bonos non tangunt. *Ibid.*

Vt ignis paleam exurit, aurum verò nitidius reddit: sic Calumniæ, vanum aut vacuum absumunt, verâ virtute grauem illustrant. *Ex reiectiuncula in Batauum.*

Vt maria sua sponte quieta, vento intumescunt: sic Principes, naturâ sæpè boni aut mites, per Calumniatores inardescunt. *Ex Orat. de Calumnia.*

Scio Momum cum Venerem carpere nõ posset, sandaliũ eius obtrectasse: ita hic tales tale aliquid, quod in factioso isto æuo non sit ad huius aut illius gustum. *Ex pref. ad lectorem in Cent. ad Ital. & Hispanos.*

Aranearum tela sunt omnes isti Calumniarum contextus: minuta animalia inhaerent, fortiora spernunt & perumpunt. *Cæt. 2. ad Belg. epist. 16.*

Vt Sarpedon ille apud Homerum, hastâ petens Patroclum, equum eius iugalem interfecit: sic Calumniatores generosum pectus non tangunt, licet quandoque imperum & velut ardorem illum animi, quo ad honesta vehebatur, prosternant. *Cent. misc. epist. 36.*

Proteruia & libido calumniandi vulgata hodie, & vt cum Tertulliano dicam, passua est, etiam in bonos apud eos qui sunt boni. Ah miseri, in nos descendamus, quã
ta ma-

ta materia calumniandi ac detrectandi. Sed
ferè plerique scoparum instar sumus, & pla-
teas in publico cum vertimus, domi in an-
gulo fordemus. *Ex epistola ad N. V. Michae-
lem vander Haghen.*

Calumniæ in occasione apud audientes
valet, tempore infirmatur. *Cent. 2. ad Belg.
epist. 6. Ex Demosthene.*

Solet hoc euenire, vt miseræ maledi-
centia plerumq; sit adiuncta. *Ibid. epist. 5.*

Nec flamma vlla magna sine fumo solet
surgere: nec sine calumniæ Fama. *Ex opere
Critico, lib. 5. epist. 14.*

Nos qui diutiùs paullo viximus, & vsu
callemus magis, scimus hunc omnis æui
morem an morbum, æmulari aut & calum-
niari. *Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 47.*

Calumniam vitare melius, quam depreca-
ri. *Cent. Miscell. epist. 1.*

Princeps, qui Calumniatores non casti-
gat, irritat. *Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 68.*

Calumniæ proprium, magnum aliquid
affingere viris magnis. *Cet. 1. ad Belg. epist. 16.*

Quis nostro æuo, paulum modò altior,
detractiuunculas non sensit? quid vapula-
mus? sic vt in somnio, non sentimus, nisi i-
maginè & opinione. Nemo nos tangit, nisi
ipsi volumus, & frogit hæc omnia tela, qui
contempsit. *Cent. 3. ad Belg. epist. 9.*

Nihil quidquam tam probè aut prouidè
dici potest, quod non vellicare maligni-
tas possit. *Ex lib. de una religione.*

Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus. *Ibidem.*

Parum progrediuntur in bona via, qui in obuios quosque arietant. *Ibid.*

Prima scintilla & fomes Calumniæ otium est: nec vnquam aut vacabit aut lubebit in alienas res inquirere, quem suæ distinebunt. *Ex orat. de Calumnia.*

In rebus diuinis & religionis Calumnia inuenit iam quod exagitet, per quod nos, imò DEVM lædat. *Ibid.*

Quidquid fraudium, oppressionum, scelerum vsquam, aut vnquam in Aulis fuit, id manauit a Calumnia. *Ibid.*

Orbem terræ Calumnia inundauit; hæret & habitat in pessimæ huius naturæ medullis; nec iam inter culpas censetur, sed mores. *Ibid.*

Architecti Calumniæ præcipui & quasi parêtes sunt, MENDACIUM & INVIDIA: CURIOSITAS autem nutritrix. *Ibid.*

Omnis Calumnia mentitur & fallit: & mendacium aut fucum auctorem habet. Finis illi primus, fallere, vltimus, lædere. O vitiorum vitium! *Ibid.*

Calumniam Mēdacium genuit, Inuidia peperit, Curiositas edocauit. *Ibid.*

Paratum strictumq; liuidum illum dentem in omnes habet Calumnia: sed tamen, in eos maximè, qui magni. *Ibid.*

Calumnia, quod fœdissima sit ipsa, in
fœdis.

foedissimas personas cadit, viles, ignavos & loquaces. *Ibid.*

Homines ignauissimi, sed & ignarissimi rebus ijs calumniando se miscent, ad quas cogitatione & sensu non pertingunt. *Ibid.*

Innocentiâ ante omnia te muni, quisquis effugere vis malæ & hiantis Diuæ (de Calumnia loquitur) morsum. *Ibid.*

Calumnias quas vitare non possumus, fortiter & erectâ ceruice feramus. *Ibid.*

Nemo a dicterijs & scommatibus conteritur aut contemnitur, nisi qui ante se contempsit. *Ibid.*

Infitum plerisque hominum, non solum patulas, sed etiam credulas aures delationibus habere: & id magis, si ad læsos ea pertinent, aut lædendos. *Ibidem.*

CAPPVCINI

CAPPVCINO s istos quos dicimus, vere virtutis, patientiæ, inopiæ, & (quod antiquis defuit) pietatis exemplar, quis sine animi aliquo motu & impulsu videt? quis non vel viros conferte ad eadem illa putat? ego censeo: & tales omnino Cynicos fuisse: excipio Pietatem, vt dixi, & Verecundiam: quarum illam æuum illorum abnuit, hanc institutum. *Ex lib. 1. Manud. Diff. 13.*

CASTITAS & TEMPERANTIA

VT egregius pictor vultum speciosum effingit: sic Pudicitia celsius confur-

gentem vitam exornat. *Ex exempl. & mon. polit. lib. 2. cap. 16.*

Vt athletis olim, munimenta quædam aurium apponi mos (*ἀμφοτίδας* vocabant) ad vitandos ictus: sic firmum aurium velamentum contra amatoria vulnera, **AMATORIVM NIL AVDIRE.** *Cent. 1. epistola 22.*

In peregrinatione tria obseruanda, frons aperta, lingua parca, mens clausa. Animus externo nulli pateat, & velut in theca clausum eum habeas, dum redeas ad notos animos & verè amicos. Oculos claude, & averte longè ab illecebroso adspectu. Aures etiam muni, contra omnes, non Venereos solum, sed paulò magis venustos sermones; ij sunt qui titillant, qui excitant: & vt cupere ab aspectu, sic velle ab auditu. *Ibid.*

Castitatis proprium est, alta & seria cogitare. *Ex mon. & exempl. cap. 16.*

Castitas sedem & basim in pudore habet. *Cent. 3. ad Belg. epist. 40.*

CIVIS.

VT catuli ad venandum inepti, qui saltare & eiusmodi delicias docti: sic ad virilia exercitia parum apti **CIVES** nimis exculti. *Ex not. ad Polit.*

CLADES

CLADES vide ADVERSITAS.

CLEMENTIA.

IPsa Clementia est, in extremè ac desperatè malos non esse clementem. *Ex lib. contra Dialog.*

Extremè & desperatè malos sisti & reprimi in suo nequitiae cursu, est pro ipsis. *Ibid.*

Clementia Imperiorum Luna, hæc homini omnium virtutum conuenientissima, quia humanissima. *Ex lib. 2. Polit. cap. 12.*

COGITATIONES.

Sicut fumus, quamuis crassus, cum al-
cum petit, dissipatur & perit: sic necesse
Doloris omnem nubem, si cogitatione al-
ta illa adeamus. Faciamus, nec plebeia co-
gitemus aut loquamur. *Cent. Miscell. epi-
stola. 93.*

Cogitationibus bonis, etsi breuibus,
semper est locus. *Ex lib. 3. Physiol. Dissert. 1.*

Spes & Cogitationes longè mittimus,
firmas & ferientes esse volumus: & cum
lapsi sumus, stupemus. *Ex lib. 3. Manud.
Dissert. 9.*

Hominem ad humana paremus: & cum
SENECA *Assuescamus futuris malis, & que
alij diu patiendo leuia faciunt, nos diu cogitan-
do. Ibid.*

CON-

CONSORTIVM BONVM
& PRAVVM.

VT flumina per se dulcia, cum in mare venerint, falefcunt: sic homines haud mali ex agris in urbem redacti, tactu inquinantur & mixtione. *Cent. 1. epist. 8.*

Rosis suæ spinæ adhærent, atque illas legere licet, & ab his non lædi. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 75.*

Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque & in prauum inclinantes reuocat ad rectum, quam virorum bonorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus ipse Sapientum iuuat: & est aliquid quod ex magno viro vel TACENTE proficias. Quid? imò iuuabit ille vel ipse cogitatus. Nam & SENECAE hoc monitum admitte: *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Ex lib. 3. Manud. ad Stoic. Philos. Diss. 24.*

CONSCIENTIA.

VT histriones qui Regum Principumq; personam agunt, veste, gestu, sermone similes, introrsum nihil eorum habent: sic iste apparebit, qui consciētiam non habet. *Cent. 2. ad Belg. epist. 39.*

Vt Cruciarij Romano ritu crucem suam ferebant, ipsi ab eâ mox ferendi: sic impijs omnibus Conscientiæ crucem DEVS im-
posuit, in qua pœnas luant, priusquam lu-
ant. *Ex Constant. lib. 2. cap. 14.*

Conscientia, Pietatis ioboles est: & ori-
go ei palam à radice. Cultus, vbi enim ille
flore & viget: hæc pariter vbi arefcit &
languet: etiam ista. Quin vbi nulla religio
aut diuinus metus; exiguum in animo hu-
ius germen, & à mala terra velut oppres-
sum. *Ex Polit. lib. 1. cap. 5.*

Conscientia est reliqua in homine rectæ
rationis scintilla, bonorum malorumque
facinorum iudex & index. *Vis definitionem
actiorem?*

Conscientia est violati numinis aut per-
peram culti, tristis cogitatio & morsus. Qui
sensus infixus homini; & viuit quamdiu
ille, non vi extinguendus, non fraude. *Ibid.*

Interno iudice si probus audias, nil ad-
dent aut dement tibi malorum sermones.
Cent. 1. epist. 87.

Bonus animus & sibi conscius, summū
bonum est. *Cent. 2. ad Belg. epist. 85.*

Mali, conscientia suggerente, sciunt ma-
los de se sermones esse: Quid boni? bonos.
Ex Comment. in C. Plinij Panegyri.

CONSILIVM .

T^v scito, caput omne Consilij esse, non
in acumine, aut sermonum, rationum-
que.

que copia, sed in directa quadam iudicij norma. *Ex notis ad Polit.*

Turpis & fœda illa vacillatio sententiam mutantium, est certum signum non certæ mentis: Idque cum singulis Consiliarijs, tum magis Consilij vitandum. *Ibid.*

Consilia ad euentus & tempora accommodanda, & sæpe inflectenda sunt. *Ibid.*

Silentium omnino seruandum in Consilio, quod vim habere vis, aut vsum. *Ibid.*

Dilcordia inter consuatores, perniciofa semper, nō aliter quam si remiges & nauæ digladientur in aliqua naui. *Ibid.*

Ab immitibus consilij omnia regna perierunt. *Ex præfat. ad Elect. libros.*

CONSTANTIA.

VT Vlyfles, donec Leucothea velum ei supposuit, natat nigrum pontum: sic Philosophiæ, aut artium bonarum candidati, hoc vitæ salum, donec pectus eis præcinxerit, candida illa Diua CONSTANTIA. *Cent. 1. epist. 12.*

Vt miles si cecidit, surgit alacrior, & animos irasque sumit à casu: idem nobis sit, & constanter pergamus ad illum Tranquillitatis internæ portum, qui verè efficit beatos. *Ibid. epist. 19.*

Vt columna, quæ recta stat, imposito magis pondere firmatur: sic altas rectasque mentes oportet, non cedere oneri, sed obniti. *Ex præfat. in lib. de Cruce.*

Non vt puluis aut paleæ ab omni vento, sic nos rapi à perturbatione debemus: sed hanc coërcere, & animum pondere illo rationis & sapientiæ stabilire. *Cent. miscell. epist. 93.*

Constantia est rectum & immotum animi robur non elati, externis aut fortuitis non depressi. *Ex lib. I. de Const. cap. 4.*

Constantiæ vera mater Patientia & demissio animi est. *Ibid.*

Lenitas & Constantia maximè illustra sydera sunt in choro virtutum. *Ex præfat. ad milit. Romanam.*

Fluctuatio & timor abijcienda sunt: genus vitæ sumendum, & in sumpto firmiter hærendum. *Cent. 5. ad Belg. epist. 38.*

Tiro aliquis miles, ad primum vulnus collabitur: veteranus sine motu sanguinè suum spectat. *Cent. 5. miscell. epist. 68.*

Maximum indicium est, malæ mētis fluctuatio, & inter simulationem virtutum amoremq; vitiorū, assidua iactatio. Profice igitur, & ante omnia hoc cura, VT CONSTES TIBI. *Ibid.*

Quoties experiri voles, an aliquid actū sit, obserua an eadem velis hodie, quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natæ aliubi, atq; aliubi apparere, prout tulit ventus. Nō vagatur quod est fixum & fundatum. *Ex Seneca. lib. I. Manud. Dissert. 15.*

Ne abripiate cum abreptis, te munis quod duplici anchorâ fiet, Sapientiæ & Con-

Constantiæ: illâ, quâ æstimes & noscas res: humanas; hæc, quâ feras & patiare æquo animo, & Fatis sponte subiecto. *Cent. 3. ad Belg. epist. 95.*

CONTEMPTVS RERVM
TERRENARVM.

VT ij qui cum Rege aut Principe in aula versantur, viliores res hominesque fastidiunt: sic qui animum ad diuina applicant, tenuia hæc & humana. *Cent. 2. ad Belg. epist. 2.*

Falsa gemmula puero aut rusticulo potest imponere, gemmario mangoni nunquam. *Ibid.*

Vt flores quosdam esse seimus, qui non nisi ad Solem sese vertunt: sic nos mentem à turbidis auertamus, vel ad diuina, vel ad amœna. *Ibid. epistola II.*

Vt in scena partes qui peregit, personam vestemque ponit, & libens domum abit: sic noster hic animus a temporario theatro in ætheream illam sedem. *Ibid. epist. 69.*

Sicut Solem istum assidue vel nubes aliqua subducit, vel nox condit: talis hic omnis splendor & felicitas, rapitur, aut euanescit. *In præfat. ad lib. de magnis. Romana.*

Sicut Vlysses ille blandientes, sed insidiantes scopulos, surdâ aure præteruexit, oculos tantum habuit apertos: sic multa nobis in hac vita obiter videnda tantum sunt, non in aures, minus in animum admit-

admittenda. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 48.*

Nihil hominis tam proprium, quam erigi & spectare alta, id est, quæ ad ætheream partem pertinent cælitus immissam nobis mentem. *Cent. 2. epist. 7.*

Quid sumus nos homines, qui aliquid esse videmur? homulli, & in quibus æthereæ illius partis, aliquid emicat fortasse, sed non sine adiunciâ terrenâ sua face. Itaque caligo, hæsitatio, error, agnata sunt nobis: & nihil tam eximium ab homine eximio, in quo non ea deprehendas. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 23.*

Assyrij, Peræ, Græci, Romani, quid nunc, aut ubi sunt? abierunt. Vbi supra fidem cumulatae opes? defluerunt. Vbi cælo certantia opera? non apparent. *Ibid.*

Heu res mortalium vel maximorum parua! heu validissimorum instabiles! imò omnia illa somnium, ymbra, nihil, si cum Æterno & Æternitate comparentur. *Ex præf. in admir. Rom.*

O breuia omnia & fugacia! & quid priuata funera comploramus? ipsa Resp. (si sic pergitur) cadauer breui erit. *Ex epist. ad Aubertum Mixæum Canon.*

Quid ista externa omnia; nisi in usum meum habeam? & scio virtutis & bonæ mentis sæpe naufragium factum, cum superfluant & redundant. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 42.*

Terra pænè est nihilum, vniuersi comparatio-

paratione, & velut punctum. O miseri, Cælum adspicite, & in terram despiciate. Punctum est illud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis. *Ex lib. 2. Physiol. Diss. 18.*

CORPVS vide ANIMA.

CORRECTOR, vide TYPOGRAPHIA.
CRITICA.

VT pictura idoneo loco posita, lumen suum accipit: sic obseruationes Criticæ illustrantur collatæ ad libros. *In praf. ad epist. quæst.*

Qui aberrauit ab itinere, quærit compendio ad viam duci, non per amœna loca circumagi: idem in Critico scribendi genere est, necessariò potiùs, quam pulchro. *Ex lib. 5. epist. 26. epist. quæst.*

Sicut vinitori leopos est, in vindemian-do obuios & grandiores racemos legere, fraudi non est minores aut latentes transisse: de Criticis idem arbitremur. *Ex disspunct. not. Mirand. cod.*

Si quis agrum nostrum stantem sentibus deruncinet, beneficium conferre censebitur: non conferet ij, qui a vitijs monumenta nostra purgant, quibus solis viuimus? *Ex Sat. Menip.*

Qui putat se in antiquis & æuo obscuris, æginæ semper æquilibrio ferri; errat, & non Varro ipse fecit in alienis scriptis, doctior tamen illis ipsis qui scripserant. Multum est legif-

legisse, inquisiuisse; plus rectam iudicij normam attulisse; sed totum attigisse, quod Fortunæ aliquando est, non doctrinæ. *Cen. Miscell. epist. 96.*

Sicut bonus architectus, & novas domos parat, & veteres reparat, vtrumq; cum laude: simile Literator vel Criticus. *In Dispunct. not. eod. Mirand.*

Critica utilissima & saluberrima est, si modicè adhibetur & modestè. *Ex lib. 2. de mil. Rom. Dial. 2.*

Nimiâ iam curâ an curiositate peccatur à plerisq; Criticorum, qui omnia antiqua auidè scrutantur, & in maris illo fundo pæne dicam arenas. Ah! quis fructus est? vita & mores præcant, tum Prudentia, sed & elegantia quædam accedat: tum vltima hæc cum modo.

--- non fuit unquam

Omibus in rebus gnarum unū esse atq; sciētē.

Veri Critici sol & sal sunt litterarum. Neque mel idè insuaue, quia ægris sic videtur, nec isti inutiles, quia aliquibus parum sanis tales videntur. *Ex dispunct. not. Mirand. Cod.*

Otales nobis sint, qui pudenda aliqua aut pœnitenda nostra tegant, non reuelent! *Ibid.*

Non enim lectione solùm & doctrinâ multâ ac miscellâ Critico opus, sed sagacitate quadam ingenij, sed felicitate etiam dicam. *Ibid.*

Criticam exercere non omnium est, nec ingenium aut doctrinam solum caeres, sed iudicium, id est animam Sapientiae, quaerit. *Cent. 2. ad Belg. epist. 66.*

CRUX vide ADVERSITAS.

CVPIDITAS.

VT in corpore aegro & corrupto, quid quid infertur, alimentum est morbi, atque abit in noxam: sic in homine, qui internum illud non depuravit pectus, scilicet fontem & originem Cupiditatum. *Cent. 1. epist. 40.*

Fines habendi nobis ponamus, & quod naturae satis est, etiam Cupiditati. *Cent. Miscell. epist. 41.*

CVRIOSITAS.

VT papiliones & minuta quaedam animalcula, vespere lucernae lumen idem dem circumvolitant donec amburantur: si Vaga mens, per curiosam curam lasciuit circa arcanam mysteriorum flammam. *Ex lib. 2. de Const. sap. 12.*

Vt ij qui in Solem acrius defigunt oculos, eos amittunt: sic mentis omne lumen, qui eam intendunt per Curiositatem in arcana Dei. *Ibid.*

Vt pedidum ac membrum scabiosum fricari semper vult: sic Curiositas sermonibus, & praesertim asperis malisque assidue scabi.

scabi. Nec aures solum huius prurientes & avidæ, sed acres quoque & acuti oculi. *Ex Orat. de Calumnia.*

Tolle Curiositatem à Calumnia, quid poterit? imbecilla, ieiuna, vacua sedebit: & quæ nocere velit potius quam possit. Nam hæc est quæ materiem suppeditat; quæ domi nūquam, foris semper, imò in foris habitat, omnium ædes, omnia animos penetrat, vigil assidue, & sine somnio. *Ibid.*

Curiosi in Religione sunt mali. *Contra Dialog.*

Miramur reconditam Sapientiæ vim, nō rimemur. *Ex lib. 2. de Const. cap. 7.*

Odi ego Curiosulos, qui etiam in illa (diuina) penetrant, id est, Gygantæo periculo in cælum scandunt. *Ex præf. ad Lectorem in Diuam Hallensem.*

Cæli aut sideris vnius naturam plenè nondum cœpimus, & volumus cæli siderumq; auctorem? Vani, Vani! *Ex not. ad Polit.*

DECRETA.

Valde opus Decretis: & sicut in mari sidera certa notamus, ad quæ cursus dirigatur, etsi alia atque alia velificatione: sic in notionum aut actionum multiplici varietate; omnia ad hæc illustria velut sidera dirigenda, si ab errore tueri volumus hunc cursum. *Ex lib. 2. Manud. Diss. 12.*

Vis ma-

Vis magna, etsi occulta, est in Decretis, sed quæ paullatim se exferit, vbi cultorem est nacta. Vti semen, quamuis exiguum, in bonam terram iactum, diffunditur & se explicat, & multiplicem fructum profert: sic in bono ingenio, Decretum. *Ibid.*

Sicut in arbore Radicem habes, & ex ea Truncum, ex his Ramos, deinde Ramulos aut Flagella: sic in Philosophia scito, primum aliquod Decretum instar Radicis habere, proprium vt Truncum, minora vt Ramos; denique copiam illam Præceptorum succedere & ex ijs surgere, verè flagella ad animos erigendos & incitandos. *Ibid.*

DELECTATIO vide VOLVPTAS.
DEVS & PROVIDENTIA.

Sicut vnus in superis DEVS est, qui machinam hanc totam moderatur & temperat: sic in terris velut Curatores & Vicarios quosdam suos constituit, qui in partibus eam tueantur & administrant. Atque horum quosdam crescere voluit in magnas opes, copias, opera: quid nisi in imagine, ostendēs cælestem illam, & sine fine ac modo potentiam, quam ipse habet, & per riuulos ac canales illos deducit? Vt igitur cælum & micantia illa astra cum intuemur, ab ijs ad puram, primam & inaccessam quandam lucem ducimur: sic ab humana ista mag-

nitu-

nitudine, ad auctore illius & fontem DEVM.
Ex præfat. in lib. de mil. Rom.

Vt gubernator, in magna naui flectit
 & regit omnia paruo motu: ita ipse mundi
 ille Rector DEVS, machinam hanc quatit
 & mouet, ipse inconcussus. *Ibid.*

Vt heliotropium & flores quidam inge-
 nio suo semper ad Solem: sic Ratio ad DE-
 VM obuersa & originem sui. *Ex lib. 1. de
 Const. cap. 5.*

Vt fluuij quidam per media maria tran-
 sire dicuntur, & seruare suam vndam: sic
 qui soli DEO subijciuntur, per tumultus cir-
 cumfusus, nullam trahunt falsedinem ex
 hoc pelago mærorum. *Ibid. cap. 6.*

Miles in castris, audito viæ signo, vasa
 colligit, audito pugnae, deponit, animo, o-
 culis, auribus paratus ad omne imperium
 & intentus: idem nobis sit & in hac militia,
 sequamur alacres & pleno gradu quocun-
 que vocantem Imperatorem. *Ibid. cap. 14.*

Sicut supremum illud cælum, inferiores
 omnes orbes ita secum ducit, vt proprium
 eorum motum non abrumpat aut sistat: sic
 DEVS, fati impetu humana omnia trahit,
 sed peculiarem cuiusque vim aut motionem
 non tollit. *Ibid. cap. 20.*

Vt in exercitu varij adfectus militum
 sunt, & hunc præda incitat, hunc gloria, il-
 lum odiū, omnes tamē pro victoria & Princi-
 pe pugnant: sic omnes omnium volūtates bo-
 nae malæq; DEO militat, & inter varios fines,

tamen ad hunc finium finem. *Ex lib. 2 cap. 7.*

Vt periti venatores canem non sinunt aberrare, sed insistere vni feræ: sic DEVS NOS illa sui verbi vestigia tantum vult premere quæ signauit. *Ibid. cap. 12.*

Si hospes aliquis arbitrari leges aut instituta patriæ tuæ velit, silere eum iubeas & facessere, quia non capit: tu terræ huius incolæ temerè damnabis ignotas cæli leges? tu opus conditorem? *Ibid. cap. 13.*

Vt pueris parentes multa præter votum imponunt, idque tutelæ aut salutis causa: sic DEVS nobis. *Cent. 1. epist. 61.*

Vt Luna quod luminis a Sole accepit: sic Christiani dona quæ a DEO. *Ibid. epist. 88.*

Vt gubernator, fluctus assilientes negligit, manum in clauo habet, oculos in astris: sic nos oportet, quod benè agimus agere, & mentem ad DEVM referte. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 2.*

Vt Solem deficientem non directè, sed in aquis intuemur: sic DEVM in operibus. *Ex not. ad Polit. cap. 2.*

In domum aliquam magnam si venisti, vbi aulæa expansa, pauimenta conspersa, sedilia disposita, vasa exposita, succincti & pexi ministri: an non ab ipso illo ornatu dominum, cum non vides, præsumis? Fac in vero hoc mundo, & DEVM habes. *Cent. 2. ad Belg. epist. 26.*

Vt in horologio, cum gnomonem serpere sensum vides, non illic sistis, sed ad rotulas

tulas abis & miraris, & denique manum & ingenium auctoris primi: idem hic fac, & DEVM repperisti. *Ibid.*

Bona mens sine DEO nulla est. *Ex lib. I. de Const. cap. 5.*

Sol, Luna, sidera, elementa, & omnia hæc sæcla animantum parent non inuita & obaudiunt supremæ illi legi: nobilissimum rerum homo, solus in Conditorem suum calces iacit & resistit. *Ibid. cap. 14.*

Ridemus, si is qui cymbam ad rupem adligauit, & funem idemidem trahat, rupem ad se accedere censeat, cum ipse ad illam: & nō maior stultitia est, qui ad rupem illam æternæ Prouidentiaæ nexi, trahendo & reluctando volumus eam nobis obsequi; non nos ipsi? *Ibid.*

DEVS omnium rerum est auctor & actor. æterna & prouida mens, quæ calorū perennes orbes, quæ siderum inæquales cursus, quæ elementorum alternas vices, quæ denique omnes res superas, inferas, temperat, moderatur, gubernat. Spargit quoquouersum æterna illa lux suos radios, & vno eodemque, vt ita dicam, ictu sine nictu, sinus omnes & abyssos penetrat cæli, terræ, maris, nec præest solum Diuinitas hæc rebus omnibus, sed interest, imò inest, res omnes inspicit, adit, cognoscit; & cognitas immotâ quadam & ignotâ nobis serie dirigit ac gubernat. *Ibid. cap. 13.*

Vigilat semper diuinus ille oculus: &

cum dormire eum censes, commuet. *Ibid.*
lib. 2. cap. 15.

Quis ei imponat qui externa & interna pariter timat? qui corpus videt & mentem? qui linguas & fibras, aperta denique & operta? *Ibid. cap. 16.*

Tam provida DEI benignitas est, ut illam ipsam noxam in salutem nostram vertat, & peccatum in bonum. *Ibid. cap. 7.*

Equum est ut homini placeat, quidquid placet DEO. *Ibid. cap. 14.*

Solus DEVS omniscius, & expertus erroris, hominum quidquid est, opinantur, vacillant, errant. *Ex lib. de vna relig.*

Divinum Numen omni modo, omni tempore, iuxta leges patrias colendum à Regibus & Principibus: & ut alij colant efficiat. *Ibid.*

Quid maius aut amplius, quam DEVM & divina intueri, agnoscere? *Ex lib. 1. physiol. Dissert. 3.*

Providentia pelagus est, & cymbulam ingenij si immittis, fluctuabit aut merget. *Ibid. Diss. 13.*

Divina nos admonet PROVIDENTIA, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ibi credere occulta: sicut alia, quæ vix potuimus invenire. Atque hæc ipsa, aut humilitatis exercitatio est; atque elationis attritio. Quid vis, ô homo, stuporem tuum divinæ Sapientiæ opponere? quidquid non capis, carpere?

Demit-

Demitte & inclina te potius: & scito arca-
na hæc naturæ adyta, magno illi Pontifici
adeunda tantum &c. *Ibid. Ex August. 11. lib.
de Civit. Dei, cap. 22.*

DEVS est ipse sibi locus. Ecce ante Mun-
dum conditum, cum nihil esset, vbi DEVS
erat? apud se & in se. *Ibid. Diss. 21.*

Frustra, & pro humana imbecillitate
istæ quæstiones, quid faciebat, agitabat
DEVS? vis & ego aliquid audacter siue
argutè? Idem quod nunc facit, fecit. Er-
ras, qui in DEO tempora disparas, omnia ei
sunt in præsentia. *Ibid. lib. 2. Dissert. 8.*

Nemo se, sine DEO nouit, & in se DEVM.
Ibid. lib. 3. Dissert. 3.

DEO curæ & amoris sumus magis, quam
nos nobis. *Cent. 1. epist. 61.*

DEVS non deserit suos, sed abducit à lo-
co, vt ad meliorem reducat, & obijcit sæpe
non sperata. *Cent. 2. epist. 87.*

IN VNO DEO requies, & beatæ mentes
quæ se applicant ad verè beatam æternam-
que illam mentem. *Cent. 2. ad Belg. epist. 2.*

Primus omnium bonorum fons, DEVS.
Ibid. epist. 42.

PROVIDENTIÆ occulta ista lex est: attol-
lit, deijcit, iterumque attollit. Agnoscite, vt
in mari, fluxum hunc Fortunæ & refluxum.
Ex præfat. Cent. 3. ad Belg.

Triumphat in PROVIDENTIÆ cursu æ-
ternus ille Rector, & nos sequimur, liberi
& velut milites eius, si volentes: captiui

ac serui, si nolentes. *Cent. 3. ad Belg. epist. 19.*

Quod DEVS vult, velimus: quò ducit, eamus. *Ibid. epist. 51.*

O quam utile multis, frænum & coërctio hæc morbi! nam reuera, sicut Athenienses de Pace non nisi atrati cogitabant: ita plerique nostrum, vix de Deo, nisi afflictæ. *Ibid. epist. 4.*

Quem DEVS diligit, per æqua per iniqua, per fluxus & refluxus perueniet ad suum portum. Utinam nos ad illum salutis! *Cent. miscell. epist. 2.*

Istæ vices rerum sunt, & magnus ille gubernator, modò temporum lenem aliquam mitemque æstatem inducit; modò asperam turbantemque hiemem. Ferenda omnia. *Ibid. epist. 8.*

Heu! quanta quies DEO se dare, ab eo pendere, decreta eius sine murmure exsequi & subire. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 25.*

DILIGENTIA.

SECORDIÆ breue & pænè sine sensu, gaudium est: Diligentia fructus se exlerit, neque nunc solum, sed in futurum delectat. *Cent. 3. ad Belg. epist. 6.*

DISCIPVLI.

VT statuarium opus suum delectat, si laudabile: sic in Discipulis, iure sibi placent præceptores, si boni. *Cent. 1. epistola. 16.*

DISCORDIA.

Discordia inter consuasores pernicioſa
semper, non aliter quam ſi remiges &
nautæ digladiantur in vna aliqua nauis.
Ex not. ad Polit.

DOCTORES vide SCRIPTORES.
DOCTRINA.

Doctrina & Virtus hodie inane nomen.
Cent. 1. ad Belg. epist. 12.

Virtus & Doctrina gradus ad verã glo-
riam. *Cent. 2. ad Belg. epist. 8.*

Omnia nobiscum labuntur & pereunt:
virtus, eruditio, & ex ijs fama perſeuerat,
& ſi non æterna tamen diuturna ſunt. *Cent.*
3. ad Belg. epist. 70.

DOLOR.

Vt amantes in domina ſua, nunquam
non inueniunt, cur eximia ea ante om-
nes: ſic dolentes in ſuo lætu. *Ex Conſtant.*
lib. 2. cap. 20.

Vt labor cum pluribus communica-
tus leuior fit; ſic itidem dolor. *Ibid. cap. 26.*

Vt imbecilli malique oculi nota eſt, lip-
pire ad conſpectum lippientis: ſic animi,
dolere viſo dolente. *Ibid. lib. 1. cap. 12.*

Vt ſerenitas nauis gratior in tempe-
ſtate aduenit: ſic lugenti amico amicus.
Cent. 1. epist. 61. Ex Euripide.

Vt fumus & caligo, quamvis crassa, cum sublata est, dissipatur & spargitur: sic dolor omnis, cum mens ad supera fertur & æterna. Sed homines pleriq; aliter, & quidquid triste aut acerbum est, acriter & intentè volumus: quod læti inest aut boni, vix levi cogitatione delibamus. *Cent. 1. ad Belg. epistola 5.*

Vt qui amore laborant, fugiunt & peregrinatione excuriunt affectum: sic qui dolore, utiliter se abducant. *Cent. 2. ad Belg. epistola 19.*

Vt flumen in riuos plures sparsum minuitur: sic noster dolor communicatus cum alijs, lenior minorq; fit. *Ibid. epist. 28.*

Philosophia suadet animum abducendum à cogitatione & solitudine: quæ duæ velut nutrices sunt dolorum. *Cent. 2. ad Belg. epist. 19.*

Non sunt viro politico, & ad bonum publicum nato, digniora solatia, quam quæ actio suppeditat: & apud alios Vincendus rationibus aut die Dolor est, apud hunc mole negotiorum obruendus. *Ibidem.*

Vt agricola parum aut nihil dolet in arbore amissâ, quæ ex vno trunco plures frutices & iam penè arbores dedit: sic simile in amissis parentibus. Non tamen vt nihil, sed vt modestius leuiusq; doleamus. *Cent. miscell. epist. 93.*

Non frangitur sapiens doloribus corporis: nec vexatur incommodis. *Ex manud. li. 3. Dissert. 6.*

DOMVS AVSTRIACA.

Fatum hoc est tuæ gentis; tuæ domus, ut magnitudo vestra originem habeat à salute miserorum. *In pref. ad Archid. Matthiam Austrum, ad Elect. lib.*

Quod olim de Scipionum gente celebre dictum fuit, natam eam ad Karthaginem vincendam: simile de Austriaca dixerim, natam eam ad superbos domandos, miseros subleuandos. *Ibid.*

E L O Q V E N T I A.

VT floribus alij ad odorem aut aspectum vtuntur tantum, medici etiam ad sanitatem: sic nos istis doctrinæ & Eloquentiæ vtamur, non ad voluptatem, sed magis ad salutem. *Cent. ad Germ. & Gallos. epist. 79.*

Vt ij qui à diptade percussi sunt, magis magisque sitiunt: sic nos, qui semel à telo Eloquentiæ. *Ibid.*

E P I S T O L A.

Sicut Solem qui iucundum habemus, etiam ceræum noctu aut candelam: sic in amicitia, cum præsertim causa aliqua subduxit, grata est scriptio, quæ vicem eius refert. *Cent. 2. ad Belg. epist. 74.*

Vt pyrites gemma ignem in se habet, sed non nisi adtritum exferit: sic apud multos

amor, sed tacitus, litteris educitur. *Cent. 4. Miscell. epist. 50.*

Ut in sermone aut fabulis: sic in epistolis odiosa garrulitas. *Ex Institut. epist. cap. 7.*

Serius & fortis amor delectatur quidem fomentis litterarum, sed & sine ijs viuit. *Cent. 2. epist. 72.*

Certior mihi character animi stilus videtur, quam sermo. *Cent. 1. ad Belg. epist. 4.*

Epistolas scribere commune, & ut sic dicam passiuum est: benè scribere, infrequēs, etiam in communi & frequente aliquā linguā. Nam si studium hic & affectatio apparet, nihil est: simplex hoc genus est, sine fūco aut paratura, &

Qualis Apelleis est color in tabulis.

Ex prafat. Cent. Miscell.

Litteras, summum solarium & vtilissimū instrumentum (Philosophiā semper excipio) censere licet humanæ vitæ. *Cent. 1. ad Belg. epist. 39.*

F A B V L Æ.

VT in vite, sub foliorum palmitumque vmbriis, pulcherrimæ sæpè vuae occultantur: sic sub fabularum delectamentis, & ut sic dicam, pampinis, reperiuntur crebrò purpurei rerum fructus. *Ex Elect. in prafat. ad Douzam & Hautenun.*

Fugite Principes & Aulici fabellas, qui vera & seria amatis. *Ex not. ad Politica.*

FAMA

F A M A.

VT Sol in aurora tenuior assurgit & inclarescit: sic ex virtute & meritis FAMA cum ævo ipso augetur & crescit. *Ex monitis & exem. Polit. cap. 18.*

Vt pueri nuces, talos, trochos affectant atque æstimant: ita nos Honores, opes, Famam, quid, nisi lusus? *Ex lib. 2. Dissert. 1. ad Stoic. Philos.*

Vt flamma firmior non surrexit vnquam sine fumo: sic nec Fama, sine nube aliqua liuoris. *Cent. 1. ad Belg. epist. 14.*

Vt stellæ in cælo per ipsas tenebras fulgent: sic bonorum Fama, per obstantes calumniantium nubes. *Cent. 2. ad Belg. epist. 11.*

Sicut gloriam mercedem boni operis habere boni non debent: ita possunt comitem, & hic in terris, eo velut melle temperare, quod in virtute est amarum. Dico gloriam, id est, testimonium bonorum. Nam vulgi Famam & auram tantum, quis sapiens captat? *Cent. sing. ad Ital. & Hisp. epist. 52.*

Ita res est, vbi melior Fama surgit, adhæret statim altera: & ignaui & ignoti tantum ab ea immunes. *Ibid. epist. 26.*

In gratia & Fama cile velle hominum, homini est insitum: sed magis apud illustres, & eos qui vtramque suo merito habent. *Ibidem epist. 51.*

Qui in publica aliqua fama sumus, aut

utramque excipere debemus, aut nullam:
& satis, si melior præponderet. *Ibid. episto-
la. 81.*

Perit in flore Calumnia, & in Famæ tem-
plo non dedicantur improba & petulca
monumenta. *Loquitur de libellis famosis.
Cent. 2. ad Belg. epist. 6.*

Vt simus, etiam cum non sumus, & ut
bona Fama mortuis nobis supersit, pendet
ab Industria nostra. *Ibid.*

DEVS dat metas ingenijs, quò & quate-
nus currant: & idem in Famâ. *Cent. 3. ad Belg.
epist. 38.*

Famam bonam omnes boni volumus: si
creuit & latè se sparsit, pòdus ut tueare ad-
fert, & illi non tibi tatum viuis. *Ibid. epist. 49.*

Caduca & fragilis res, homines fumus:
sed ut simus etiam cum non sumus, & ut
bona fama (sæpe etiam pecunia) mortuis
nobis supersit, pendet ab industria iuuenili.
Cent. 3. ad Belg. epist. 6.

Nec flamma vlla magna sine fumo solet
surgere: nec sine calumnia FAMA. *Ex opere
Critico lib. 5. cap. 14.*

Famæ & fidei damna maiora sunt, quàm
quæ æstimari queant. *Cæt. ad Germ. & Gall.
epist. 68.*

Fama communis, rarò fallax arbitra. *I-
bid. epist. 79.*

Viuos & superstites premere, in rectè
facilis etiam liuor aut inuidia potest, & ple-
beij sermones: at mortuos, & cum tractu
veritas.

veritas inualefcit, fplendor ille Famæ irradiat, & feria fcripta ad memoriam tradunt pofterorum. *Ex lib. de mil. Rom.*

Quid rectim humanarum carius Fama? quæ iure eft bonis, ante bona omnia & ipfam vitam. *Ex orat. de Calumnia:*

Opes & vita caduca & fluxa funt: & opes quidem ante nos fæpè, vita nobifcum femperabit: nomen autem & Fama æternant, eaque fola, cùm non erimus, hic erunt. *Ibidem.*

Famam, vnicum Sapientum thefaurum, puriffimam vitæ gemmam, appetit calumniator affiduè, & fubtrahere aut maculare conatur omni fraude. *Ibid.*

Fama tantùm longa bonis ftudijs artibusq; parari potefl, ac vita æterna bonâ hic vitâ. *Cent. ad Germ. & Gallos, epift. 5.*

F A T V M.

VT in naui ambulare, mihi fas, & per foros tranfcurre aut tranftra, fed nihil minutus hic motus valet vt impediât eiuscufum: fic in fatali hac naui, quâ omnes vehimur, currant licet voluntates noflræ, & tranfcurrant, non via eam eijcient aut fiftent. *Ex Conftant. lib. 1. cap. 20.*

Vt fera avis apertâ caueâ non eijcitur, fed euolat: fic Chriftiani in apertum illum plerumq; Fati campum. *Cent. 1. epift. 86.*

Vt gubernator, in naui nō frangit maiores illos

illos & decimos fluctus, sed vitat & declinat: sic grandes istos & fatales motus, errabit qui quis impetu franget; arte & prudentiâ componendi sunt. *Ex præfat. ad Archiducem Matthiam in lib. Elector.*

Sicut supremum illud cælum inferiores omnes orbes ita secum ducit, vt proprium eorum motum non abrumpat aut sistat: sic Deus fati impetu humana omnia trahit, sed peculiarem cuiusque vim aut motionem non tollit. Arbores & fruges voluit crescere: crescunt sine vlla vi, per naturam. Homines deliberare, eligere? deliberant sine vlla vi & eligunt, per voluntatem. *Ex Const. lib. 1. cap. 20.*

Euclides olim interroganti multa de dijs, per commodè respondit: *Cætera quidem nescio, illud scio, quod odere curiosos.* Idem de Fato censendum: quod aspici vult, non inspici: credi, non cognosci. *Ibid. cap. 21.*

Quis à Fati notitia fructus? vt verè pius sis, & Fata sequare, id est DEVM. *Ex lib. 1. Polit. cap. 4.*

Fatum est, æterna ab æterno, in æternum Dei lex. *Cent. 1. epist. 61.*

Fatis, id est, DEO discamus parere. *Cent. Miscell. epist. 43.*

Hæc summa, vel vna potius sapientia, DEO & Fatis obsequi; & infixum habere animo, ab illis dirigi, atque etiam perfici molimina omnia nostra. *Cent. 3. ad Belg. epist. 51.*

FEMINA vide MATRIMONIUM.
FIDES, FRAVS & FALLACIA.

QUæ fraudes passim, libido, luxus? & ad summam ea omnia, quæ exitio esse cuicumque statui solent, & debent. *Cent. 1. ad Belg. epist. 2.*

Rara per hæc tempora fides est, atque ea citra verba ferè consistit. *Ibid. epist. 100.*

Nihil hodie tam receptum, quam fallere fidem. *Cent. 2. epist. 59.*

Fides habita, fidem alligat, in animis quidem ubi alti aliquid est aut honesti. *Ex lib. 5. de mil. Rom. Dial. 1.*

Fides ubi constat, caligo & imbecilitas ingenij excusanda est. *Ibid. Dial. 20.*

FIDES.

IN fidibus si quid discrepat, non abrum-
pis per iracundiam, sed paullatim reducis
ad cōcētū: in FIDE cur non idem fit? Simili-
tudinem hanc, *LIPSIUS* cēset accommodandā
*simplicibus erronibus, qui neminem suæ reli-
gionis labe maculant, priuatim tantum pec-
cant. Non ut inimicum, inquit VASELE-
CTIONIS, Thessal. 2. ducite, sed admonete
ut fratrem. Ex lib. Polit. 4. cap. 4.*

FORTITUDO.

VT viticam, si contanter attingas, adu-
rit, si fortiter, hebecit: sic luctus aspe-
ritas

ritas in crescit, si lenioribus remedijs attractes, si duris & fortibus, cedit. *Ex Const. lib. 1. cap. 21.*

Ut grando, tectis magno strepitu illisa, ipsa tamen dissilit: sic clades, in firmum animum si accidant, franguntur non frangunt. *Ibid. cap. 19. lib. 2.*

Ut araneorum casses, animalia fortiora perumpunt: sic fortunæ laqueos mens robusta. *Ex Cent. miscell. epist. 59.*

Sicut currus in præcipiti aut declivi fove retinentur, & se sistant: sic animus debet, ubi quæ allubescunt aut inuitant. *Cent. 4. miscell. epist. 37.*

Rosis suæ spinæ adhærent: atque illas legere licet, & ab his non lædi. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 75.*

Si valetudo tibi semper anceps & plurimum aduersa: quid nisi feramus, & ferendo ad eum vincamus? quia in pugnam hæc compositi cū fortuna siue fato sumus. *Ibid.*

Firmandus ita formandusq; hic animus, ut quies nobis in turbis sit, & pax inter media arma. *Ex Const. lib. 1. cap. 1.*

Ad hoc Sacramētum adducti sumus mortales, ferre mortalia: nec perturbari his, que vitare nostræ potestatis non est. *Ibid. cap. 14. Ex Seneca.*

F O R T V N A.

VT ij qui in procliu sunt, sese & equos sistant: sic in optabilibus & lætis faciendum.

dum, ad quæ animus sponte fertur. *Cent. 2. epist. 44.*

Vt aranearum casses, animalia fortiora pertumpunt: sic Fortunæ laqueos mens robusta. *Cent. miscell. epist. 59.*

Vt quivis haud facilè multum vini fert, non item abundantem Fortunam. *Ex not. ad Politicam.*

Sicut nube ingruente sub tectum confugimus: sic in calamitate ad Sapientiæ arcem, quam Fortuna nullis machinis evertit. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 2.*

Fortuna varia nimis, & incerta: hodie magnus es? cras alius, aut nullus. *Ex not. ad Politicam.*

Qui Fortunam adversam expertus est, magis ille ad modestiam factus & cautionem: præcipuas Prudentiæ partes. *Ibid.*

Non est felix, qui in magna fortuna est, sed qui habetur, & est (ob virtutes) ea dignus. *Ex Comment. in Plinij Paneg.*

G A L L I A.

Vtinam GALLIA vestra sit, quæ olim fuit! sedes pietatis, schola humanitatis, gemma & decus orbis terræ. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 19.*

GALLIAM in pectore amo, in ore circumfero: & quid ni? bonarum artium amantem, & ideo LIPSI quoq; (utinam meruerim!) diligentem. Illa verò tellus ingenia semper habet, plurimum format: & si quid nunc incultum aut ferox, à tristi

& πλωρίω isto Marte est, qui nimis diu eos pressit. Ipsa gens facta ad virtutem, alacritatem, humanitatem: quâ postremâ ceteras orbis terræ gentes vincunt, certè vicerunt. *Cent. miscell. episto. 74. ad Ioannem Vouerium.*

GARRVLITAS.

VT in sermone aut fabulis: sic in epistolis odiosa garrulitas. *Ex institut. epist. cap. 7.*

Vt corpore tenues, veste se dilatant: sic qui ingenij, aut Sapientiæ inopes diffundunt se in verbis. *Ibid.*

Vt in sagitta mittenda non minus aberrat, qui citra scopum, quam qui vltra iaculatur: sic in scribendo, quisquis pauciora quam pro re, aut plura dicit. *Ibidem.*

Vt in Iudæ lacu Asphaltite, nihil mergitur, sed supernatant omnia iniecta: sic garrulorum pectore nihil conditur, superfluunt, imò effluunt cuncta. *Ex Orat. de Calumnia.*

Naturâ hoc lingulacis insitum, ut non multa solum loquantur, sed mala. *Ibid.*

Quid visurus sim, nescio, sed verbosus valde & vnâ sapientes nondum ego vidi. *Ex notis ad Polit.*

G A V D I V M.

VT ex studijs gaudium : sic studia ipsa
proueniunt ex gaudio. *Ex lib. 1. Antiq.
lect. cap. 4.*

Sicut arborem qui posuit, fructus ex ea
cum Voluptate carpit : sic nos hæc gau-
dia ex ijs, qui si non sati è nobis, tamen vt
sic dicam, insiti sunt, & in meliorem quem-
dam succum directione & doctrinâ tradu-
cti. *Cent. 1. ad Belg. epist. 56.*

G L O R I A vide S V P E R B I A.

G V B E R N A T O R.

VT medicus omnia tentat, priusquam
ad sectionem aut vstionem accedat: ita
legum Præsidem, ciuitatisque rectorem de-
cet, quamdiu potest, verbis, & his mollibus
ingenia curare. Trãseat deinde ad tristiorẽ
orationem, quã moneat adhuc & expro-
bret : nouissimè ad pœnas, & has adhuc
leues & reuocabiles, decurrat. Ultima
supplicia, sceleribus vltimis ponat, vt nemo
pereat, nisi quem perire pereuntis etiam in-
ter sit. *Contra Dialog.*

Vt periculosũ mare, & hiemis tẽpore, qui
ingreditur, cõsulere & interrogare solet de
gubernatore & nauarcho: sic populariũ ani-
mũ intèri, per turbida hæc tẽpora, in eos qui
ad clauũ nostrũ sedent. *Cent. 2. Belg. epist. 32.*

Vt ælo sereno, & mari quieto, minor
cura

cura aut inquisitio de gubernatore est: quævis pænè sufficit: at turbido hoc & illo, virum navis quærit, veterem clavi & peritum: sic nunc dixerim, in procellis nimbisque quibus religio pariter & respublica iactantur, magni interesse, quem in curam tutelamque eius accessi videamus. *Cent. 3. ad Belg. epistola 55.*

Quod Europa tot motibus agitur, quod Reges & regna ardent seditionum flammâ & bellorum; vera fortasse iustaque causa est Administratio apud plerosq; parum vera aut iusta. *Ex lib. 4. Pol. cap. 14.*

Abstractione quadam opus qui gubernant, & ne nimis vulgi se vulgent. *Ex not. ad Polit.*

HISTORIA & ANNALES.

VT in pictura, faciem prævisam facilius agnoscimus: sic in Historia, notioris exempla. *Ex præfat. ad annal. Taciti.*

Vt vita nostra publica est, sic scriptio: illa ab ævo in ævum, turbæ & bella: ergo & Annales, qui ævum representant. *Ex præfat. ad lectorem in lib. de mil. Rom.*

Vt animanti, oculos si eruas, reliquum corpus inutile reddis: sic Historiam, si ab ea hoc lumen, Veritatem & Sapientiam. *Ex notis ad Politica.*

In Historia, non vnius ævi aut urbis exempla, sed omnium temporum, omnium

um gentium, quasi in diffuso theatro, res gestæ spectantur. *Ex opere Critico, lib. 2. epist. 14.*

Historiam aptè scribere, maiorum temporibus non solum magna, sed etiam rara laus fuit. Vtriusque causa à difficultate est: difficultas ex eo, quod quæ alijs sciētijis ferè singula proponuntur, ea Historiæ legitimè vniuersa. *Ex dedic. in Tacitum.*

HOMERVS.

Laudandum iudicium de summo Virorum, qui fuerunt aut erunt, & cuius magnitudinem non nisi magni capiunt, nec plenè etiam ipsi. Is HOMERVS est, ò apex ingeniorum, ò fastigium & culmen scientiæ, prudentiæ, sapientiæ, quò pertingere homini quidem datur. Nos ita censemus,

Nil orturum alias, nil ortum tale fatentes.

HOMO.

Sicut Iunonia avis, vbi colorem & plumas circumspexit, sibi placet & fidit; deijcitur, cum ad pedes se deiecit: tale est nobis, animo valemus & præfidimus, languescimus, cum ad exteriorem hominem nos conuerimus. *Cent. 3. epist. 51.*

Vt triumphantibus à tergo destituit feruus solet, qui in medio triumphat.

phi gaudio idemtidem interclamaret, HOMOES: sic tibi monitor iste semper adistat, ESSE HÆC HVMANA. *Ex Const. lib. 2. cap. 26.*

Non vt pisces in salo nati & alti, salem tamen non referunt: sic censendum homines in hac mundi face esse, ipsos sine face. *Ibid. cap. 16.*

Vt flumina per se dulcia salescunt: sic homines haud mali, ex agris in urbem reducti, tactu inquinantur & mixtione. *Cent. 1. epist. 19.*

Sicut arborum illæ optimæ, quæ non florem solum, sed fructum ferunt: sic hominum, quibus præter ornamenta doctrinæ, vita etiam est ad frugem. *Cent. Miscell. epistola 10.*

Vt hominibus singulis: sic populis suæ laudes, suæ labes. *Cent. 1. epist. 22.*

Arbores vetulæ recusant transferri: idem in hominibus esse, medici & vsus dicunt. *Ex lib. 3. Physiol. Dissert. 2.*

Aliarum animantium quæque aggregant se ad suum genus: ergo inter homines merito, quibus est similitudo & paritas aliqua vel artium, vel ingeniorum. *Cent. 3. ad Belgas, epist. 10.*

Caduca & fragilis res, homines sumus. *Ibidem epist. 6.*

Homines sumus, id est, non diu sumus: & cum vel ad extimum vitæ terminum venimus, quam breue id est: Vbi meæ vitæ anni, quos decurri? vt flumen transierunt. *Ibid. epist. 41.*

Homo, umbra, puluis. *Ex Const. lib. 1. cap. 14.*

Nobilissimum rerum homo, solus in conditore suo calcem iacit & resistit. *Ibid.*

Æquum est, ut homini placeat, quidquid placuit DEO. *Ibidem.*

Quid est homo? lutum, ut ille ait, scitè mixtum. *Ibid.*

Homo censetur prudentissimus animalium, at sibi stultissimus videtur. *De milit. Romana, lib. 5. Dial. 20.*

Nos quid sumus? humiles, imò humus. DEVS super omnes, ille omnia, & ab illo, quidquid boni est, Summo bono. *Ibidem.*

Quid sumus? homines, id est, labi faciles. *Ad Analeceta in lib. de mil. Rom.*

Omnia quæ in mundo sunt, homo continet, & in capaci illa mente gestat. Solus scientiam omnium & amat, & si vult, habet. Quid ei clausum est? Cælos penetrat, & DEVM ac diuina mente adit. *Ex lib. 3. Physiol. Dissert. 2.*

Omnia homini seruiunt & parent. Quid clarius! terras habitamus, aramus, peragramus: ipsa maria, indomitum elementum, domamus: bestiis ferisque omnibus legem & imperium damus. *Ibid.*

DEVS in nobis habitat, Templum eius sumus: DEVS homines requirit, Deliciæ eius sumus. *Ibidem.*

Homo eminet, & DEVM in parte refert, quia solus cupiens est scientiarum & capax. *Ibid. Diss. 3.*

Vnum hominis & proprium bonum,
RATIO: quæ noscenda & colenda. *Ibid.*

Quid est homo? (respondet SENECA)
Quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile: iactatu, non tempestate opus est, ut soluaris. Ibid.

Quid est homo? Audi Plinium lib. 7. cap. 7: *Lucerna in vento posita.* Quid est homo? qui ab ipso lucernæ odore perire potuit, à quo plerumq; abortus. *Ibid.*

Ne animalia quidem cetera domueris, sine tractatione quâdã & arte: tu speres hominẽ? quo nullũ animal morosius est, nullũ maiori arte tractandum. *Ex lib. 3. Polit. cap. 1.*

Naturã nos feroces, indomiti, æ qui impatientes, nedum seruitutis: & homines in nullos magis insurgunt, quàm in eos quos imperium in se adfectare sentiscunt. Et rem vidit, qui scripsit: *omnibus animalibus facilius, quàm hominibus imperitare. Ibid.*

Homulli sumus, id est, pars optima & cælestis in terram inclusa: felices, qui liberi ab ea & soluti. *Cent. 1. ad Belg. epist. 15.*

Nihil hominis tam proprium, quàm erigi & spectare alta, id est, quæ ad ætheream partem pertinent, cælitus immissam nobis mentem. *Cent. 2. epist. 7.*

Et quid simus, quid sciamus, quid scire possimus, etiam cogitemus. Pusilli & miseri! non passus aliquot attollimur supra hanc terram: & digito cælum tangere iam
vide-

videmur. *Ex disjunct. not. cod. Mirand.*

Homo dare & accipere lucem naturâ
quærit. *Ibid.*

O mira! ô super omnia mira! rex & ca-
put animantium Homo? quis ille, & quam
condecens, erectus status est? quid caput
in vertebris suis mobile? quid oculi ignei,
& altum petentes? manus & pedes agi-
les? omnia membra in mutuam auxilium
apta & nexa? Profecto tanta viuis illius a-
nimantis pulchritudo, dignitas, vis & vi-
gor est: vt si Deus non est, ipse sit DEVS.
Cent. 2. ad Belg. epist. 26.

HONESTAS, vide, PROBITAS.

HONOR.

ESTO & modestus. Sicut enim ad coru-
sationem aut maiorem lucem oculos
claudimus: sic tu animum debes, ad ho-
noris hunc splendorem. *Loquitur de Iu-
risprud. & Iustitia. Cent. miscell. epist. 97.*

Hodie nullus honos artib⁹, a quib⁹ ve-
tus omnis honos. *De militia Romana lib. 2.*

HUMANITAS.

VT oculi, in quos subita & magna lux
venit, conuiuent & clauduntur: sic no-
bis pectus, largâ istâ humanitate perfusum,
& penè addam confusum. *Cent. ad Ital. &
Hisp. epist. 56.*

Huma

Humanitatis est Principibus se dare, & animum flectere ad desideria aut imperia illorum: *loquitur de viris Doctis. Cent. misc. epistola. 41*

HUMANANA.

VT triumphantibus à tergo destitui servus solet, qui in medio triumphi idētidem interclamatet, HOMO ES: sic tibi monitor iste semper adlistat, ESSE HÆC HUMANANA. *Ex Const. lib. 2. cap. 26.*

Vt ij qui cum Rege aut Principe in aula versantur, viliores res hominesque fastidunt: sic qui animum ad diuina applicant, tenuia hæc & humana. *Cent. 2. ad Belg. epi. 2.*

Sicut supremum illud cælum, inferiores omnes orbēs ita secum ducit, vt proprium eorum motum non abrumpat aut sistat: sic DEVS, fati impetu humana omnia trahit, sed peculiarem cuiusque vim aut motionē non tollit. *Ex Const. lib. 1. cap. 20.*

Incerta sunt omnia rerum humanarum. *Cent. 2. ad Belg. epi. 28.*

Humana omnia nil nisi iactationes & fluctus, in quibus nihil firmum, nisi ad anchoram ea alliges veræ pietatis. *Cent. 1. epi. 52.*

Nihil liquidi in rebus humanis: in alto hoc erit. *Cent. sing. ad Ital. & Hisp. epi. 8.*

Naturâ infirmitatis humanæ, citius deijecti est quam attolli. *Cent. 3. ad Belg. epi. 78.*

Numen

Numen gaudet invertere ista humana,
sæpe præter humanam spem aut mentem.

Cent. miscell. epist. 74.

Si adipicit res humanas Deus, etiam curat: si curat, regit. si regit, iudicio regit. at si iudicio, quomodo iniuste. Non enim regimen vllum sine eo fit, sed congeries, confusio, turba. *Ex Const. lib. 2. cap. 13.*

HVMILITAS.

Sicut in segete, spicarum vacuæ attolluntur, grauidæ & feraces inclinant: ita quo quis sapientior, eò magis se demittit & sustinet. *Ex disputation. not. Mirand. cod.*

Sicut rota, quæ in terra voluitur, parte imâ & minimâ eam tangit: sic nos oportet decurrere per hæc humilia, optimâ & maximâ parte altos & subleuatos. *Cent. 1. ad Belg. epist. 56.*

Rarò nauis allisa est, quæ modico velo legit littus. *Cent. 2. epist. 38.*

IGNAVIA & OTIVM.

VT difficile est in conuiuio lauto & oppiparo solum esse siccum & sobriū: sic vacuum inter occupatos. *Cent. 1. epist. 8.*

Mare quoddam mortuum aiunt, sine vento, sine motu: sic sæpe homines nonnulli dulcedine cessationis. *Ibid. epist. 33.*

Ut lignum occulta teredo consumit: sic

animum delinat paulatim & exedit ignavus affectus. *Cent. 2. epist. 38.*

Vt aquæ, diutino litu vitium contrahunt: sic nostri animi assiduâ sessione vel quiete. *Ibid. epist. 47.*

Sicut navis, quæ è littore spectantibus stare videtur, celerrimo cursu saepe labitur: sic est aliquod etiam actuosum otium, cui litterati consecrati sunt. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 45.*

Ignavia magnorum ingeniorum sepe pestis. *Cent. 2. epist. 38.*

Ignavi animi ad primum ictum concidunt. *Ibid. epist. 57.*

Ignavia & cum ea superbia duæ pestes iuventutis. Fores animi si his aperitur: eruditio nunquam init, prudentia, aut sapientia. Fugienda, vel potius fuganda. *Cent. 1. ad Belg. epist. 50.*

Socordix breue, & pænè sine sensu gaudium est: diligentix fructus se exserit, neque nunc solum, sed in futurum delectat. *Cent. 3. ad Belg. epist. 6.*

Qui nihil agunt, mortui ambulant inter vivos. *Ex Dial. de recta pronunt.*

Homines ignavissimi, sed & ignarissimi rebus ijs calumniando se miscent, ad quas cogitatione & sensu non pertingunt. *Ex Orat. de Calumnia.*

Desidia humectat, & imbecillum corpus fluidumq; reddit: labor siccat, & robustum strictumq; corpus facit. *Ex li. 5. de mil. Rom. Dial. II. Ex Hippocrate.*

Prima scintilla, & fomes calumniæ, otium est: nec vaquam aut vacabit aut lubebit in alienas res inquirere, quem suæ distinebunt. *Ex Orat. de Calumnia.*

Hoc est verè philosophum, imò sapientem esse: exerere & ostendere in sole atque opere, quæ alijs in umbra & otio differuntur. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 45.*

IMPERIVM vide REGNUM.

IMPIETAS, vide VITIUM.

IMPERITVS.

Imperitis tanti vitreum est, quanti margaritum. *Cent. 1. ad Belg. epist. 100.*

Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus. *Ex lib. de vna relig.*

Ita res est, vbi melior fama surgit, adhæret statim altera: & ignaui & ignoti tantum ab ea immunes. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 26.*

INDVLGENTIA.

Licentia, vna ianua est & aditus ad omne scelus. *Cent. 1. epist. 73.*

Habet hoc semper noua libertas, vt ad licentiam facillè deflectat. *Ibid. epist. 21.*

Matres, plerumque specie dulcium corumpunt & eneruant filios: patres tristium specie seruant. *Ex Const. lib. 2. cap. 8.*

Æuum hoc, vt multis delictis fibulam, ita petulantia & licentia laxat: & quod aucter procacissimus quisque, id etiam audet. *Ex prafat. ad lectorem in lib. de Cruce.*

Barbari aut viles homines, vbi licentia adest, plerumque sæui sunt: mites in ea moderati, ingenui sanguinis & stirpis. *Ex lib. de mil. Rom.*

Maius quiddam est, quàm imperiti suspicantur, cursum rectum in vndoso illo mari tenere, & in summa Fortuna non abripi licentia ventis. *Ex dedic. ad Politicæ.*

INGENIVM.

Quemadmodum quædam hastilia detorta vt corrigamus, adurimus & adalidis cuneis non vt frangamus, sed vt explicemus, elidimus: sic ingenia vitio prava dolore corporis animique corrigimus. *Ex lib. contra Dialog.*

Vt enim fruges non bonitas soli tantùm gignit, sed cæli Solisque fatus & temperies educit atque elicit: sic ingenia & artes, non à natura tantum velut solo alenda, sed procerum benignitate, & velut cælesti aurâ fouenda atque attollenda sunt. *Cent. 4. miscell. epist. 73.*

Vt vulgò remedia quædam ab Afris aut Indis petita æstimamus: sic plerumque exter-

terna ingenia præferuntur internis. At non oportet. *Ex not. ad Polit.*

Velocia ingenia semper mouēt aliquid, & nec quieta, quieta fiunt. *Ibid.*

Vt corpore tenues, veste se dilatant: sic qui ingenij aut sapiētiae inopes, diffundunt se verbis. *In Instit. epist. cap. 7.*

Vt nauis in malaciā hæret: sic ingenium in languore, cui melior aura non adspirat. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 73.*

Nulla alia pestis, plura ingenia abripuit, quam confidentia & æstimatio sui. *Cent. 1. epist. 77.*

Est hoc æternæ illius benignitatis, spargere ingeniorum dona in ætates, & in homines: nec in vnam illam, aut hunc vnum omnia & simul contulisse. *Ex lib. 1. Manud. Dissert. 4.*

Serium ingenium ad recta natum, cum iudicij bona norma, caput censeo in homine & vita humana. Si ea norma obliquat, aut se inflectit, prauum expecta quidquid sequitur: & tela omnia aberrant, vbi collinatio fallit. *Centur. 3. ad Belg. epistola 10.*

Anni & morbi ingenium hominis deprædantur. *Ex lib. 2. de milit. Rom. Dialogo 8.*

Illa vna ingeniorum pestis modò fugiatur, ne peruenisse nos putemus quò aspiramus. Modestia est, quæ omnem ætatem decet, ducit: & sine hac præcipitat iuuentus. *Cent. 1. ad Belg. epist. 4.*

Dat DEVS metas ingenijs, quò & quatenus currant : & idem in fama. *Cent. 3. ad Belg. epist. 38.*

Ingenium nostrum cuiuscumodi est à Deo est, & in Deum referendum quidquid ab isto manat. *Ex not. ad cod. Mirand.*

INOBIEDIENTIA vide OBIEDIENTIA.
INNOCENTIA.

Nihil in vita securum, solutumq; præter Innocentiam. *Ex Const. lib. 2. cap. 14.*

Apud Deum, vita longa non optima, sed Innocentissima. *Cent. miscell. epist. 29.*

Innocentiã ante omnia te muni, quisquis effugere vis malæ & hiantis Divinæ (de Calumnia loquitur) morsum. *Ex oratione de Calumnia.*

INVIDIA & LIVOR.

VT nauim interdum improuisus vortex absorbet : ita homines nigra Dea, INVIDIA, præsertim eos, quib⁹ in dolis melior, & ingenium supra annos. *Cent. 1. epist. 42.*

Vt fratrum odia acerrima sunt : sic eorum ferè, qui consortes aliquando eiusdem religionis. *Ex lib. de una religione.*

Vt culicem molestè circumstrepentem leui manu & sine ira dispellimus : idem liceat & deceat in istis, qui innoxiam nostram quietem turbant inuidiæ telis. *Ex dispunct. not. Cod. Mirand.*

Vt flamma firmior non surrexit vnquā sine famō: sic nec fama, sine nube aliquā liuoris. *Cent. 1. epist. 14.*

Qui alteri inuidet, hoc ipso inferiorem se ostendit, quia apud humiles duntaxat animos habitat, & in altos dirigitur liuida illa DEa. *Cent. 1. epist. 14.*

Liur & obtrecciatio, passim honorū operū impedimēta aut venena. *Cent. 2. epist. 70.*

Virtuti vt Gloria comes, sic & Inuidia: sed hanc adeò non curat, vt vix cernat. Minuti qui non se attollunt, nolunt etiam alios: & factis cū obstare non possunt, conantur linguis, & spargunt verborum leuia ista tela. Atque id cernunt, vt Parthi fugientes, nam cominus non se componunt, ne rectis oculis splendorem nostrum intueantur. *Cent. 3. ad Belg. epist. 9.*

Liur & maledicendi libido ita hodie inualuit, vt parum seriò bonus videatur, nisi qui asperè conuicietur modestè bonis. *Ex epist. ad Franciscum Suerterium.*

I R A.

Sicut canibus quibusdam infitum est, sine causa aut discrimine latrare: sic homini inquieto, & turbido, vnum hoc studium, litigare. *Ex lib. de vna religione.*

Vt in præceps lapsis corporibus nullum sui arbitrium est, rapiuntur: sic animus in libidinem, amorem, iram proiectus, non sistit se vbi vult, aut cum vult,

sed quò non vult, fertur. *Ex lib. 3. Manud. Dissert. 7.*

Ira, vindicta, ultio, humani adfectus nomina sunt: & nata ex imbecillitate, cadunt tantùm in imbecillos. *Ex Constantia, lib. 2. cap. 6.*

Iram fuge, eaq; aut nulla ibi (Princeps) aut aperta esto. *Ex lib. 2. Politicor. cap. 17.*

I T A L I A.

Quidquid hoc est litterarum reliquum, illis debemus: quidquid etiam ego in hoc genere profeci aut possum, magnam partem debeo viris quos tellus ea dedit. Sed & ipsam vidimus, & iudicia etiam nostra ad elegantiam aliquam formauimus in meliore illo cœlo & solo. Itaq; vt dixi, amo iure & amabo Italiam, & amari aut probari ab eâ æstimabo. *Cent. 1. ad Belg. epist. 32.*

ITALIAM adis. illam frugibus, viris, opibus, cultam: illam famâ inclutam scriptisq;. In ea non vestigium vsquam pones, non oculum flectes; quin monumentum aliquod premas, aut memoriam vsurpes, ritus siue historiae priscae. Plinij alibi mansio, & Virgilij aut Propertij patria tibi ostendetur; alibi rudera Varronianæ aut Tullianæ villæ. Quanti & quàm arcani gaudij ista visio? cum non animo solum, sed pœnè oculis sese inferunt manes illi magni, & sôla premimus pressa toties ipsis. *Cent. 1. epist. 22.*

IVDEX & IVDICIUM.

VT palati inclinationes quædam sunt, quas haud mutes: sic iudicij. *Cent. 2. epistola 31.*

Vt in mari alij aliàs venti, gubernator tamen rectum cursum tenet, nec deflectit mentem aut oculos à proposito portu: ita nobis esse debeat, recta perere, prosequi, nec eijci viâ, aduersante aliquâ iudiciorum aut sermonum aurâ. *Cent. sing. ad Ital. & Hisp. epist. 28.*

Fatua sæpe huius æui iudicia aut iniqua. *Cent. 1. epist. 2.*

Serium ingenium ad recta natum, cum iudicij bonâ norma, caput censeo in homine, & vita humana. Si ea norma obliquat, aut se inflectit, prauum exspecta quidquid sequitur: & tela omnia aberrant, vbi collineatio fallit. *Cent. 3. ad Belg. epist. 20.*

Homines inquieti & turbidi, non iudicio scribunt, sed morbo. *Ex lib. de vna religione.*

Quomodocunque se recondita DEI iudicia habeant, non culpanda ea nobis, sed ferenda & verenda. *Ex Const. lib. 2. cap. 17.*

IVRISPRVDENTIA.

Sicut annes, mare qui influunt, falsuginem eius non mutant: Sic in Iurisconsulto quicumque affectus, ne diluant Iustitiæ seueritatem. *Cent. 1. ad Belg. epist. 56.*

Sicut vomere solo terra scinditur, nervis in citharâ sonus editur: sed adiungi tamen alia membra partesque opus, decori, comodi, imò & perfectionis causa: sic in ardua istâ artium censemus, esse quæ iuvent aut ornent. *Cent. miscell. epist. 97.*

Vt imputata vitis latè se spargit, & infructuosa est: sic IUS profectò illud vetus, & labruscas iam pro viuis gignit. *Ex monit. & exempl. Polit. lib. 2. cap. 10.*

Sicut lupini, per se amari, aquâ perfusi dulcescunt: sic tetrica ista legum à tali temperie (historijs nempe & scriptis veterum) mitigantur. *Cent. 2. ad Belgas, epist. 39.*

Vt apud Iudæos illa animalia pura, & sacris apta, quæ ruminant: sic huius Divæ artis ille mystes, qui iura & leges repetit idètidem, & apud se colit. *Ibidem.*

Iurisprudentiam multorum Camelorum onus esse, AMELII vetus querela fuit: quid nunc dicam? Elefantos ab India adde, vix ferent. *Cent. miscell. epist. 78.*

Iurisconsultorum plurimi leges, ut certam habent. *Ibid.*

Vbi multæ leges, ibi & lites multæ, & vitæ moresq; prævi. *Ibid.*

Non multæ leges bonos mores, bonum IUS faciunt: sed pauca fideliter servata. *Cent. 2. epist. 9.*

Pestis Europæ, *vaninum* hoc studium, quod haud temerè quispiam *concessum latrocinium* dixit. *Ex lib. 2. Politic. cap. 11.*

Iasonas & Argonautas hodie vides? fuge, non ad Aſtram, ſed ad Medeam & auream pecudem nauigant: quos ſcænicè, ſed verè & liberè tetigit olim Ammianus. Hi, inquit, *nec ſas vllum præ oculis habent, ſed tanquam Auaritia vanundati & vſu capti, nihil præter inſeminatam licentiam norunt. Et ſi quem ſemel intra retia ceperunt, caſſibus mille impediunt, per morborum aut occupationũ ſimulationem viciffim cõſultò ceſſantes: utque peruulgati iuris lectio vna proferatur, ſeptem vendibiles parant introitus, dilationum examina longiſſima contexentes, &c.*

I V S T I T I A.

VT in cithara, ſi vel vnica fides diſcrepat, concordia & harmonia tota perit: ſic I V S T I T I A, ſi in vno aliquo delinquat. *Cont. 2. ad Belg. epiſt. 39.*

Videſne, vt in medicina ſæpe triſtia & terra propinentur, ſed ſalutis cauſa? itaque ab hoc fine, ad eò non odimus medicos, amamus & laudamus. Simillimum in I V S T I T I A, à cuius acerba functione aut vſione, ſalus generis humani pendet. *Ex mon. & exemp. pol. lib. 1. cap. 9.*

Sine I V S T I T I A viuere inter nos, id eſt, in Societate, non licet: nam vinculum eſt, & vt ſic dicam, coagululum: ſolue, diſſipamur, & vt fera ſolitariae vagamur. *Ibid.*

Nullâ re, quæcunque Reſpublica magis florebit, aut floruit, quam rigidâ & immotâ I V S T I T I A: nullâ re magis flacceſcet

& deficiet, quàm illa tali. Hæc felicitas regnorum & statuum, interna & externa. Interna quidem. Nam quis nescit scelera & flagitia per eam remoueri, virtutes promoueri. Externa, quia agri, viæ, maria, frequentantur, & securitas vbique ac tranquillitas regnant. *Ibidem.*

Pestem auaritiæ vites, Iustitiæ ipsum exitium & pestem. *Cent. 2. ad Belg. epist. 39.*

Inter magna luminaria habeo IVSTITIAM & CLEMENTIAM, è quibus illam, veluti Solem facio : qui nisi Imperiorum omne corpus illuceat, tenebræ in ijs, tempestas, nimbi. *Ex lib. 2. Polit. cap. 10.*

IVSTITIA ius suum cuique tribuit: Deo cultum, regibus obedientiam, maioribus reuerentiã, minoribus comitatem, oppressis tutelam, dubijs consilium, omnibus innocentiam. *Cent. miscell. epist. 97.*

IVVENTVS.

VT caelo tranquillo, & mari placido, naua, quæ contra tempestatem sunt, expediunt: sic in ætate florida, nondum tot curis aut fluctibus exposita, iure præpares, quæ sint illis mitigandis aut tollendis. *Ex Manud. ad Stoicam Philos. lib. 1. Diff. 1.*

Vt aquileges, cum mane halitum quendam erumpentem è terra vident, iudicium id habent latentium aquarum: sic de fecunda scaturigine virtutum spes, vbi in adoles-

dolescente præt, & elucet cupiditas dis-
cendi. *Ex Const. lib. 4. cap. 5.*

Vt equum in cursu plausus: sic optimam
indolem laudes & approbatio iuuat. *Cent.
2. epist. 85.*

Vt viti pedementis quibusdam ac ridi-
cis opus est, ne iaceat: sic Iuuentuti moni-
tis, ne cadat. *Ex Dial. de recta pronunt.*

Vt imperiti pictores, in facie exprimen-
da rugam, næuum, verrucam, facile imi-
tantur, indolem negligunt, & ipsum vultū:
sic sæpè adolescentes, rara aut exlætia ver-
ba excerpunt, ingenium omittunt, & geniū
dictionis, *Ex Institut. epist.*

Neque enim vt in agro satis est semel
sementem iecisse, & ille accipit, fouet, pro-
fert: sic in animis iuuentutis, qui cottidia-
no vomere proscindendi & obierendi sunt,
ad meliorem illam frugem. *Cent. 1. ad Belg.
epist. 50.*

Sicut arborem qui posuit, fructus ex ea
cum voluptate carpit: sic Præceptores gau-
dia ex ijs, qui si non sati ex illis, tamen vt sic
dicam insiti sunt, & in meliorem quemdam
succum directione & doctrinâ traducti.
Cent. 1. ad Belg. epist. 56.

Vt aucupes, nobiliores illas aues non pa-
tiuntur liberè euagari, sed loro illigatas re-
uocant aut retinent: sic nos in melioribus
his ingenijs, & monitiunculis interdum
ducamus vel sistamus, necubi ab illa veri
honoris, vt sic dicam, præda aberrent. *Cent.
2. ad Belg. epist. 60.*

Sicut aues matres non pariuntur pullos suos longiùs auolare, sed comitantur & fi-
stunt, & docent: nos item hæc talia in no-
stra iuuentute. *Cent. miscell. 48.*

Sicut Mercurius ille apud Homerum
talaria, siue vt ipse appellat, καλὰ πέδιλα
sumebat: quæ ferreat eum

----- seu super undam,

Seu super immensam terram, auras equi-
perantem.

Sic adolescentes aliam duplicem Pieta-
tis & Doctrinæ, quæ subuoletis & eminea-
tis super omnia humana.. *Cent. 1. ad Belg.
epistola. 5.*

Principes isti adolescentes qui assurgunt,
quasi fulcra & columnæ sunt in magno æ-
dificio; quod ijs aliquando innitetur, firmi-
ter & fideliter, si institutio sit à fideli & eru-
dita manu. *Cent. 1. ad Belg. epist. 29.*

Pietas sit iuuentuti in mente, modestia
ante oculos, & demissio animi: ad quam
nunquam satis hortanda. *Cent. 1. epistola.
78.*

Iuuentus ignara iudicandi, in fraudem
facile inducitur, & spretis melioribus va-
na amplectitur. *Ex disjunct. notis Mirand.
cod.*

Ignauia, & cum ea Superbia, duæ pestes
iuuentutis. Fotes animi si his aperit: eru-
ditio nunquam init, prudentia aut sapien-
tia. *Cent. 1. ad Belg. epist. 50*

Non aliud magis decorum in iuvene,
quam vt se demiffè & fubmiffè gerat. *Cent.*
1. ad Belg. epift. 82.

O ornamentum iuuentutis pudor, fe-
ges veræ gloriæ, & doctriinæ! *Cent. fing. ad*
Ital. & Hiff. epift. 10.

Pestem hanc videmus in pleraque ia-
uentute noſtra, hodie, quæ ſimul vt ſapere
cæpit, iam ſapit: & vbi vix limen libauit
Sapientiæ, putat penetraffe. *Cent. 2. epi-*
ſtola. 23.

Oportet inferere iuuentuti, non ea quæ
probantur maximè, ſed quæ probanda. *I-*
bid. epift. 73.

Eiuſmodi adoleſcentum copia rara eſt,
qui cum litteris Modestiam ſociant & Vir-
tutem. *Cent. miſcell. epift. 10.*

Pudor in animo, & in vultu rubor gem-
mæ pulcherrimæ ſunt in iuuentute. *Ex lib.*
4. de milit. Rom. Dial. 10.

Dub̄ ſunt quæ Iuuentutem inſtruunt ac
formant, delinquentium caſtigatio, & bo-
norum præmiatio. Ad vtrumque enim ho-
rum aſpicientes, illam quidem ob metum
fugiant; hanc ob gloriæ ſtudium concu-
piſcunt. *Ibid. lib. 5. Dial. 17.*

Iuvenes non ſolum à conſilijs, ſed om-
nino à Repub. amouendi, cauſâ duplici.
Primum, quia Temeritas & calor in ijs.
Deinde quia non cadit in ætatem eam Au-
ctioritas. *Ex not. ad Politica.*

LABOR

LABOR & STUDIUM.

VT qui gemmas vel aurum quærunt, non summam terræ cutē leuiter stringunt, sed in viscera eius penetrant & immergunt: sic qui veram māsūramq; doctrinam, altius necessum est, in scriptorum loca & sensa sese immittant. *Cent. 1. ad Belg. epistola 49.*

Vt ex studijs gaudium, sic studia ipsa proueniunt ex gaudio. *Ex lib. 1. Antiq. lect.*

Non vt in agro, satis est semel sementem iecisse, & ille accipit, fouet, profert: sic in animis, qui quotidiano Vomere profcindendi, & obserendi sunt ad meliorem frugem. *Cent. 1. ad Belg. epist. 50.*

Vt in Musica concentus quidam discors probatur: sic est in studijs, nec liber aliquis dissensus improbatur, si citra conuitium aut litem. *Cent. sing. ad Ital. & Hisp. epist. 6.*

Sicut arboribus, quarum propria dos & finis est fructum ferre, etiam folia videmus congenita, etiam flores: idem in studijs, & ornatum habent, ac poscunt, præter nudum illum prudentiæ aut sapientiæ fructū. *Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 76.*

Vt floribus alij ad odorem aut aspectum vtuntur tantum, apes ad mellificium, Medici etiam ad sanitatem: sic probi prudentesque amœniora hæc studia traducunt, & aptant ad ferium animorum fructum. *Ex præfat. Syntag. de Vesta & Vestalibus.*

Sicut

Sicut Paris, apud Homerum, è pralio profugus, cum Helena se oblectat: sic plerique, relictis studiorum ferijs, voluptaria modò sectantur. *Ex lib. 1. Manud. Diff. 1.*

Amicissima semper studijs solitudo & quies. *Cent. 1. epist. 6.*

L A V S.

Sicut pluuia leuis & modica faciliùs in terram penetrat & humectat: sic laudes in animos, & adhaerent. *Cent. 3. ad Belg. epist. 61.*

Vt equum in cursu plausus: sic optimam in obolam laudes & approbatio iuuant. *Cent. 2. epist. 86.*

Non minus monere amicos prompti esse debemus quam laudare. *Ex Dial. de rector. pronunt.*

LICENTIA vide INDVLGENTIA.

LITTERÆ vide ARTES.

LIVOR, vide INVIDIA.

L V C T V S.

Vt vrticam, si contanter attingas, adurit: si fortiter, hebescit: sic luctus asperitas increfcit, si lenioribus remedijs adtractes: si datis & fortibus, cedit. *Ex Const. lib. 1. cap. 21.*

Vt amantes in domina sua nunquam non inueniunt, cur eximia ea ante omnes: sic dolentes in suo luctu. *Ibid. lib. 2. cap. 19.*

Vt se

Ut serenitas nautis gratior in tempestate aduenit: sic lugenti amico amicus. *Cent. 1. epist. 62.*

LUXVS & LIBIDO.

VT in præceps lapsis corporibus nullū sui arbitrium est, rapiuntur: sic animus in libidinem, amorem, iram proiectus, non sistit se ubi vult, aut cum vult, sed quò non vult, fertur. *Ex lib. 3. Manud. Diff. 7.*

Luxus, libido, ἀσέβεια, regnum in multis locis habent: coerce te & abstine, & Honesti illum splendorem & Numen ante oculos pone, quæ fumos aut nebulas istas dissipabunt. Didicisse te ostende, non ut scias quid deceat, sed vsurpes.

*Et grauius curis, animum sortita virilem,
Ignea longauo franetur corde iuuentus.*

MALEDICENTIA.

VT locis læuibus & politis agrè sordidum aliquid adhærescit: sic maledictum sedem vix inuenit in vita puriore. *Ex Orat. de Calumnia.*

Solet hoc euenire, ut miserix maledicentia plerunque sit adiuncta. *Cent. 2. ad Belg. epistola 7.*

Nihil quidquam tam probè aut prouidè dici

de dici potest, quod non vellicare malignitas possit. *Ex lib. de una religione.*

MANSVETUDO.

VT scopulus affilientes undas, sine motu villo frangit: sic nos conuiciatores sine acerbitate vlla aut ira. *Ex li. de una relig.*

Vt culicem molestè circumstrepentem leui manu, & sine ira dispellimus: idem liceat & deceat in istis, qui innoxiam nostram quietem turbant. *Ex dispunct. not. Mirand. eod.*

Æquo animo audienda sunt imperitorum conuicia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus. *Ex lib. de una religione.*

MARE.

MARE, violenta pars mundi, & cui nemo imperat, præter illum, qui cunctis. *Cent. 3. ad Belg. epist. 27.*

MATRIMONIUM & FÆMINA.

Sicut dictator, cum Romæ creatus, ceteri magistratus abdicabant, solo illis imperio: sic maritum vxor cum accepit, illi vni paret, & adspicit, non vltra iam in parentum manu vel amicorum. *Cent. 3. ad Belg. epistola 40.*

Sicut in fidibus, concentu nihil suauius, offendimur dissentu: tale in matrimonio:

monio ; & temperies illa atque harmonia, vt sic dicam, matrimonij, delectat, neque ipsos tantum, sed amicos, imò alienos. *Ibid.*

Sicut equorum domitores, ferocientes eos, non flagellis exasperant, sed popysimis blandè tractant & demulcent: sic in faminis, & præsertim sub initia, crudo adhuc, vt sic dicam, illo connubiali iugo. *Ibid.*

Sicut prisca illi, cum Iunoni Iugæ faciebant, fel ex hostia reuulsum abijciebant: sic bilis, iracundia, iurgia spernantur à sacro hoc coniugali. *Ibid.*

Imperium mariti in vxorem est, vt patris in filiam: aut vt melius dicam, vt animi & corpus hoc nostrum esse debet. *Ibid.*

Asperitas & superbia à coniugio absint, *Ibid.*

Felicitas coniugij adest, vbi Concordia est. *Ibid.*

Concordia fit in matrimonio, nec corporum solùm illa iunctio, sed magis animorum. *Ibid.*

In coniugio, Amore inprimis opus est: & vt ab ipsa habeas, tuum affer. *Ibid.*

Philosophi veteres, & plerique abhoruerunt nuptiarum vincla, vt verè compe-des quasdam liberæ & sese efferentis mentis. Ita sunt, expertis crede. *Cent. 1. ad Belg. epist. 89.*

Iuvenes cælibes similes sunt piscibus, qui alludunt circa nassam, & gestiunt inire; contra, quia iam inclusi, exire: simile ple-
rumq;

rumque est in Matrimonio, quod ambiunt liberi, damnant capti. *Cent. 1. epist. 33.*

Semel constituendum est, quod vitæ genus eligendum, solitarium an sociabile: illud, cum paucis, hoc cum multis. *Ibid. epist. 43.*

Felix coniugium, ubi est animorum, corporumque societas, & concordia voluntaria. O vitam tunc beatam! Homerus pulcherrimè dixit:

--- nec enim quidquam est optatius illo,
Quàm cū concordī procurant mente penates,
Vir simul & mulier, multus dolor est diversis;
Gaudia coniunctis.

*Ex epistola inedita ad Franciscum Sver-
tium.*

Concors & alterno amore Matrimo-
nium, eximium inter humana bona. *Cent.
ad Germ. & Gallos, epist. 29.*

Proprium fæminæ est, audire maritum &
parere. *Ex Comment. in C. Plinij Panegy-
Traiano dictum.*

Mulier sit viri amans, domus suæ & œ-
conomix intelligens & curans. Satis hæc
in fæmina: plures laudes qui quærit, vitia
fortasse congeret, in specie virtutum. Mu-
lier, quæ ultra mulierem sapit, non sapit.
Cent. 3. ad Belg. epist. 26.

MÆCENATES.

Sicut arbores fructibus grauidè inclinant
ramos & demittunt, & offerunt carpi: sic

viri verâ virtute vberes & beniuoli & benefici vitrò sunt, & inuitant ad fruendum. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 98.*

Vt fruges non bonitas soli tantùm gignit, sed cœli solisq; fœtus & temperies educit atque elicit: sic ingenia & artes, non à natura tantùm velut solo alenda, sed procerum benignitate, & velut cœlesti aurâ, fouenda atq; attollenda sunt. *Cent. 4. miscell. epist. 73.*

Vt vitis iacet, nec fructum fert, nisi ad stipitem aut arborem applicita: vix etiam litterati, nisi gratiâ & fauore magnatum subnixi. *Cent. 2. ad Belg. epist. 13.*

MENS vide ANIMVS.
MILITIA & BELLVM.

VT in puteum facilè te demiseris, haud facile eduxeris: ita in bellum. *Ex lib. 5. Polit. cap. 5.*

Vt in equo regendo, calcaribus vtendum, sed & fræno: sic in milite, imò omni ciue, præmijs ad virtutem incitandi, pœnis à vitijs reuocandi sunt. *Ex lib. 5. de mil. Rom. Dialogo. 5.*

Miles in castris, audito viæ signo, vasa colligit, audito pugnae deponit, animo, oculis, auribus paratus ad omne imperium & intentus: idem nobis sit, & in hac militia sequamur alacres, & pleno gradu, quocumque vocantem Imperatorem. *Ex lib. 1. de Constant. cap. 14.*

Vt in corpore hoc optimum, omnia mēbra agilia esse, & implere suam munus: sic in acie. *Dialogo 20. lib. 5. de mil. Romana.*

Vt in aere, sic in terra sive sunt bellorum tempestates, & deiciuntur ista grandine, atque atteruntur hominum aliquot incipes. *Ibidem, Dial. 1.*

Vt in mari valde moto, etiam vibratio est, & tremor post tempestatem: ita post tumultus istos militares, quando fracti sunt & minus tumidi. *Cent. ad Germ. & Gall. epistola. 80.*

Vt pueri, cum nubes sparguntur, currunt & rixantur: ita isti qui oppida & arces capiunt, diripiunt alieno malo, & suo nullo bono. *Cent. 1. epist. 33.*

Militaris prudentia, ante omnia Principi necessaria: adeo ut sine ea vix Princeps. *Ex Polit. lib. 5. cap. 2.*

Quæ res vitam aut tranquillum usum habet sine Militia? patria, libertas, ciues, atque adeo ipsi Reges latent in tutela, ac praesidio bellicæ virtutis. *Ibidem.*

Pecunia adeo necessaria, ut quemadmodum medici negant, sine nervis homines ambulare posse: ita nec bellum usquam progredi sine ista. *Ibid. cap. 6.*

Militia sola orbem temperat, nec regna solum dat aut adimit, sed ipsam vitam. Nulla Respublica aut status sine ea floruit, nulla perennavit: & ut quæque melioribus legibus aut moribus fuit, ita
hanc

hanc habuit meliorem. *Ex dedic. ad Philippum III. Hisp. Regem, in lib. de mil. Romana.*

Nibil est quod magis fistat aut remoretur iuventutem, quam militiæ priscæ ignorantia. *Ibidem.*

Aduersa quædam in bello, hoc etiam boni habent, ut doceant, aut certè moneant, in posterum non nimis tardare, & occasio- nibus rerum temporumque uti. *Cent. 2. ad Belg. epist. 32.*

Clamor militum, incitatio pariter est animi & virium, atq; hosti terror. *Ex lib. 4. de mil. Rom. Dial. 11.*

Ferus Mars, non animata solùm vitâ deuoluit, sed euertit quidquid stetit. *Ibid. lib. 5. cap. 1.*

Castra re ipsa gymnasium, palæstra, sedes, inò & domicilium sunt disciplinæ militaris. Munia, Opera, Exercitia, Præmia, Pœnæ sunt in castris: & ut vno verbo, sic regitur miles & formatur. *Ibidem.*

Fastus in milite bonus est, sed in hostem: apud Duces obsequiosi, & flexi animi conueniunt. *Ibid. Dial. 8.*

Proprium militis est, arma peritè tractare & habere ad defendendum aut offendendum. *Ibid. Dial. 4.*

In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra iniurias fortunæ, inter beneficia firmetur. Miles in media pace, si- ne vllò hoste decurrit: vallum iacit, & su- peruacuo labore lassatur, ut necessario suf-
ficere

ficere possit. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas. *Ibid. Dial. 11.*
Ex SENECA.

Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subito ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissâ exercitatione confidunt. *Ibid. ex Cassiodoro.*

Profectò, perijt hodie Ducum auctoritas, quia seueritas: nec alia res militem in turbas & scelera soluit, quam solutæ leges. In sanguine & cæde qui versantur, ferociam & contemptum induunt: nec nisi sanguine & cæde coercantur. *Ibid. Dial. 18.*

Ars quædam est tractandorum armorum; nec professio nominis, & vultus aut cultus immutata, militem statim reddunt. *Ibid. Dial. 20.*

Magnum hoc arcanum est, fidere militem, pugnare cum spe victoriæ, cedere sine metu ignominie aut periculi, si res cogat. *Ibidem.*

Latissimus est stratagematum campus: non aliâ re & plures victoriæ aut trophæa parta. Quidquid inopinatum est, hostem turbat: modò tale sit, vt non tuos turbet. Ea sit cautio: nec quælibet inuentiuncula fructuosa statim aut efficax est, sed cui circumspectio & lustratio adiuncta. *Ibid.*

Argum esse oportet, qui Dux est: in ter-

go, in fronte, in capite, in pedibus oculos habere: & tamen omnia facilia disposita, ubi semel proba communis illa dispositio præcessit. *Ibid.*

Sine disciplina militiæ, non dicam bonitas aut felicitas non constat, sed vix nomen. *Ibidem.*

Non longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio. Post quanta volueris stipendia, in exercitatus miles semper est tiro. *Ibid.*

Libido iam pro lege est, Iurisq; locum sibi vendicat ensis. *Ibid.*

Absciso & severo castigationis genere turba militaris coercenda. Vnde tot rebelliones hodie ac tumultus? minæ aut arma in suos Duces? ab impunitate & licentia: & quâquam aliæ causæ prætexantur, istæ veræ & intimæ sunt. Coerceantur, & ut vno verbo, plus ducem suum miles timeat, quàm hostem. *Ibidem.*

Bonum & utile institutum, militi semper victum esse, nec inopiâ cogi ad rapiendum, aut deserendum, *Ibid. cap. 16.*

In bellis civilibus, Virtus & Honos, ius suum ægrè seruant. *In Anal. lib. 1. Dial. 2.*

Virtus militaris, tutela, imò augmentum est Imperij & Reipub. *Ex admiran. lib. 4. c. 2.*

Militiæ primum sacramentum est, tueri salutem, commoda, dignitatem eius cui militamus. *Ex lib. aduers. dialog.*

— Inspice.

Incipere bella, in aliena manu est: non ponere cum lubet, & vt lubet. *Ibid. cap. 4.*

In omni bello, cruda post victoriam principia: magis ciuili, vbi odia, & acerrimæ factiones: *Cent. 2. epist. 6.*

Per bella ciuilia, non spirant Musarum venti. *Ibid. epist. 69.*

Germania re ipsâ discit, & in assiduis exemplis, nihil collectitium & subitum militem esse, malè ducibus & inter se notum, nihil nisi cædem hostilè aut prædam. *Cent. singulari, epist. 75.*

Mars & Bellona vbique hodiè in pretio magis, quàm Phoebus aut Mula. *Cent. miscell. epist. 8.*

Infausta hæc ciuilia bella, inter alia mala, hanc quoque labem morum induxerunt, & homines nescio quomodo feroces, prauos, impios reddiderunt. *Cent. 1. ad Belg. epist. 25.*

Mihi firmum, in bello plus mentè quàm manus valere, plus industriam, quàm omnes opes. *Cent. miscell. epist. 94.*

MIRACVLA.

VT auro aut ebori, facile est decus addere, cum materies per se niteat: tale istis (de miraculis loquitur) gratiam à stilo dare, per se gratis. *Ex præf. ad lect. in Diuana Sicheniens.*

Sicut pueris, lac necessariū est ad alimè-

tum, viris etiam vile & iuuat: sic tirones aut erronei in fide Miraculis nutriuntur, viri & robusti etiam oblectantur. *Ibid. cap. 2.*

Miracula diuina consideranda sunt, & non discutienda. *Ibid. ex S. GREGORIO.*

Omnia uo fuerunt Miracula, plerisque omnibus locis: & erunt in ænum, etsi parcitius, densius, ut diuinę Providentię visum. *Ex Diua Hallensi, cap. 1.*

Miracula communiter Religionem in animis excitant, & Deum credere, Deum colere suadent & inducunt. *Ibid. cap. 2.*

Vbi ea (Miracula) video, & tam certa & crebra video, quid nisi fauorem & inclinationem Numinis agnosco? quid etiam, nisi velut tubam & clasticum audio, quod ad talem fidem & coetum appellat? Bene Augustinus, Catholicę Ecclésię auctoritatem Miraculis esse inchoatam, vetustate firmatam. *Ibid.*

Non certius diuinitatis argumentum, quam à miraculis: quæ Deus ipse homo factus, ut talem se assereret atque ostenderet, palam exhibuit & vulgauit. *Ibid. cap. 4.*

Vera miracula, ad verum & vnum DEVM ducunt: falsa, ad falsos & multos. *Ibid. cap. 5.*

Non possumus aliâ re efficacius frangere & calcare hæresim, quam miraculorum fulmine. *Cent. miscell. epist. 98.*

MISERICORDIA.

Misericordia est inclinatio animi ad alienam inopiam aut luctum subleuandum. *Ex Const. lib. 1. cap. 12.*

Faciamus benignius quam dicimus: & manum potius egeno aut lapso porrigamus, quam verba. *Ibid.*

MODESTIA.

VT aromata, odorem semper aliquem adfricant tangenti: sic boni & modesti, auram aliquam suæ virtutis. *Cent. 1. epistola. 78.*

Modestia & pudor sistere debent iuuenientem, in candida illa Virtutis & Sapientia; calce. *Cent. 2. epist. 83.*

Modestia, fulcrum est & vinculum omnium virtutum, quæ labuntur aut diffluunt, nisi eâ nixæ, nisi eâ nexæ. Ita te attolle semper ab humo, vt absis à fumo. *Ibid. epistola. 69.*

Modestia, radix est & altrix virtutis & veræ famæ. *Cent. miscell. epist. 17.*

Bella est elegantia & comitas ista morum: quis nescit aut negat? sed Sapientia si adiungitur, & eius mater, aut proles MODESTIA, quantum decus accedet? *Cent. 4. miscell. epist. 43.*

Eiusmodi adolescentum copia rara est, qui cum litteris Modestiam sociant & virtutem. *Cent. miscell. epist. 10.*

Pietas fit iuventuti in mente , modestia ante oculos , & demissio animi : ad quam nunquam satis hortanda. *Cent. 1. epist. 78.*

Modestia, est quæ omnem ætatem decet, ducit, & sine hac præcipitat Iuventus. *Cent. 1. ad Belg. epist. 4.*

Sibi habeant sua regna reges , sibi diuitias diuites:

Ego cum bona mente quietem & modestiam, in modico censu. *Ibid. Epistola 46.*

Maneamus in modestia , in bonorum studio, nec vela ad blanditiæ sermonum auras explicemus. *Cent. miscell. 98.*

Omnia mihi detrahi patiar , quàm hanc virtutem (modestiam dico) ingenitam non adsumptam. *Ex dispunct. cod. Mirandul.*

M O D U S.

Modus in omni re optimus. *Cent. 1. epistola 14.*

Modus ab animo petendus : cui composito semel & securo , nunquam superest aliquid aut deest. *Ibidem.*

Insipiens est omnis Sipientia , cui non adest modus. *Cent. 2. epist. 57.*

O quam omnia modica, optima! *Cent. 3. ad Belg. epist. 49.*

Infitum humanis ingenijs, imperio insolenter uti : nec facile modum seruare in ea re, quæ supra modum. *Ex Const. lib. 2. Cap. 25.*

MONI-

MONITA & PRÆCEPTA.

VT ignis è silice non vno concussu elicitur: sic in frigido nostro pectore, non primo admonitionum ictu accenditur, latens & languens vis illa honesti. Quæ vt verè aliquando, in nobis ardeat, nec verbis aut specie, sed re & factis, supplex quæso venerorque æternum & diuinum illum ignè.
Ex Const. lib. 2. cap. 27.

Sicut manuum, pedum & membrorum vsus in aperto est, & sensibus incurrit: in abdito, cor & spiritus illi sunt, qui motum & impetum hunc donant: sic de præceptis dicere possis, palam iuare, latenter Decreta.
Ex manud. lib. 2. Dissert. 12.

Sicut drachmam argenti auriue, si quis profert, boni quidem, sed quæ imaginem aut signum Principis non præfert, recusare eam ius & mos est: sic bonum etiam monitum suspectum habere, vt monetam, quod Principis alicuius decreti signo se non probat. *Ibidem.*

Semen, quamuis exiguum, in bono solo sparsum, facilè comprehendit, & se explicat: breue item monitum, in bona mente.
Ex Pras. ad Politicæ.

Sicut gemmæ, etsi in lutum aut sordes abiectæ, splendorem non amittunt; & diès postea reuelat & attollit: sic in istis, quæ benè & honestè dicuntur. *Ex mon. ad Polit. lib. 1. Cap. 1.*

Sed non ut aromata, vim suam æuo exspirant: sic monita salubria & doctrinæ, imò contrà, auctoritatem & fidem ab ætate sumunt. *Ex Dissert. ad Principp.*

Ut vitæ pedamentis quibusdam ac ridicis opus est, ne iaceat: sic iuuentus monitis, ne cadat. *Ex Dial. de reâta pronunt.*

Et vitator in vindemiando, minutos etiam racemos repetit & colligit: sic Præceptores, vel tenuia, si quid omiserunt. *Ex lib. 4. Dial. II. de milit. Romana.*

Sicut vermes, è dulcore & bellarijs nati, non nisi amariore pharmaco pelluntur: simile in ingeniorum corruptela an lasciuia, quæ à suavi & blandiente illa Philautia est orta. Defricare tale aliquo doctorum oportet, aloë interdum monitorum abstergere. *Ex Dispunct. not. Mirand. cod.*

Sicut limites in agris confundi non sinunt & misceri: sic salutaria illa monita coercent; & animum neque diffundi ad vana illa, nec miserî. *Cent. I. ad Belg. epistola. 58.*

Sicut matres, quæ pueris bellaria & fructus in sinum ingerunt, sollicitè succingunt ne excidant: sic nos satagere conuenit, ne pereant quæ optimè olim à præceptoribus insinuata. *Cent. 4. miscell. epist. 34.*

Ut pluuia illa inutilis, quæ in lapides aut rupes cadit, & supernè irrigat tantum: sic doctrina, quæ in ore & verbis, in pectus non descendit. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 99.*

Quid

Quid nisi citharæ similes sumus, quæ suaves sonos edit, nec ipsa eos audit? sic nos egregia monita & doctrinas, ipsi ab ijs expertes. *Cent. miscell. epist. 91.*

Non minus monere amicos prompti esse debemus, quam laudare. *Ex Dial. de re-
ceta promunt. cap. 1.*

Merito laudandi sapientes, quibus olim, & nunc hæc cura, ut salutarium monitoriũ face præluccrent imperanti. *Ex Pras. ad Pol.*

M O R B V S.

VT in Ætna, ignis interualla sua habet, & cum defæuissse creditur, redit: ita quidam morbi. *Cent. 1. epist. 81.*

Vt serpentes positis exuuijs redire dicuntur in nouam iuuentutem: sic multis, qui relicto morbo auspiciari videntur vitã. *Cent. 3. ad Belg. epist. 4.*

Vt ij, qui uincti & impediti sunt, membra habent ad vsũ, nec vtuntur: sic mens lingua, stilus, adstricta ad morbi catenam. *Ex præfat. Analect.*

Vt corporum quidam morbi, certis temporibus interueniunt: sic morbus animorum est, ut disputare & quæstiunculis lasciuire homines malint, quam piè viuere. *Ex lib. aduers. Dial.*

Vt arbores aut stirpes interdum folijs floribusq; marcet, obscuro vitio & ab radice: sic nobis ut. *Cent. ad Ger. & Gall. epist. 77.*

Quid refert, quâ viâ sanemus ægrum,
dum per sanemus? *Ex Const. lib. 2. cap. 18.*

Formosa corpora etiam in morbo, ve-
stigia decoris sui retinent. *Cent. 3. ad Belg. in
præfat.*

Anni & morbi, ingenium hominis de-
prædantur. *Ex lib. 2. de milit. Rom. Dial. 8.*

O quam utile multis, frænum & coërcitio
hæc morbi? Nam reuera, sicut Athenien-
ses de Pace, non nisi atrati cogitabant:
ita plerique nostrum, vix de DEO, nisi affli-
cti. *Cent. 3. ad. Belg. epist. 4.*

MORS RERVMQVE OMNIUM INTERITVS.

VT ferro, consumens quædam rubigo
per naturam adgnata est: ligno, exedēs
caries aut teredo: sic animalibus, opidis
regnis, internæ & suæ causæ pereundi. Su-
pera, infera respice, grandia, parua: manu
facta, aut mente: ab omni æuo corruunt, &
corruent in omne æuum. *Ex Constant. lib. 1.
cap. 15.*

Vt flumina in mare feruntur, perpeti &
prono cursu: sic res omnes humanę per cla-
dium canalem labuntur ad suam metam.
Ibidem.

Vt hominibus singulis a adolescentia sua,
rebus, senectâ, mors: sic opidis, rebus pub.
& regnis. *Ibid. cap. 16.*

Vt in nauis ambulare mihi fas, & per fo-

ros transcurrere aut trāstra, sed nihil minutus hic motus valet vt impediatur eius cursum: sic in fatali hac nauī, quā omnes vehimur, currāt licet voluntates nostræ & trāscurrant, non viā eam eiicient aut sistent. *Ibid. cap. 20.*

Vt in pyro aut pomō arbore, cū vndique fructu suo onusta est, alia confertim & impetu, alia seorsum & singula, sed tamen assiduē cadunt: sic in nostro hoc genere, & densi aut singuli morimur, proprio vel cōmuni aliquo fato. *Cent. 3. ad Belg. epist. 5.*

Vt folia cadunt & nascuntur, sic homines: nec frustra cū ijs comparauit maximus Poëtarum. *Ibid. epist. 7.*

Vt spinas aut tribulos, et si adhærentes aut amplectentes dimouemus; ad poma aut vuas vltro manus porrigimus: sic in mortis casu, quod iuuare aut alleuare potest, adprehendamus: pungentia illa & noxia, et si offerunt se, depellamus. *Cent. 1. epist. 19.*

Vt in agris fructum subita calamitas: sic Mors supprimit multorum ingeniorum fecunditatem. *Ex lib. Antiq. lect.*

Vt lignum vri natum est, arista fecati: sic homines mori. *Ex Elect. lib. 2. cap. 16.*

Vnam nascendi viam natura dedit, mille moriendi. *Ex libro Manud. 3. Dissert. 22.*

Sicut quos Magistratus in carcerem aut custodiam dedit, nisi eius venia non

excunt: si faciunt, pœnam sibi adaugent: ita si quis velut furtiuâ discessione è vita abit, non vitari miseriam, sed cumulari. *Dissert.* 23.

Reuera vt ij qui in carcere sunt elabi velint & possint, nisi custos teneat: sic in hac vita nos sistit ille velut commentariensis, AMOR VITÆ. Pellendus est, & vt possit, sæpè cogitandum, quod semel faciendum. *Ex Physiol. lib. 2. Dissert. I.*

Sicut qui in nauisunt, dormientes ac vigilantes vehuntur, cum sensu, sine sensu: sic nos eò (ad mortem) prouehimur, & aliquando abripimur, aut mergimur, velut tempestate. *Centur. 4. miscell. post. epistola.* 70.

Qui periti cœlestium sunt, in Solis aut Lunæ deliquio non stupent aut timent: sciunt enim mox redituram vtrique fideri suam claritatem: simile nobis Christianis sit, qui gnari diuinarum promissionum, non mortem hanc habemus, sed transitum ad vitam. *Ibid. epist. 93.*

Videsne in agris, vt fruges satæ in herbâ, in culmum, in aristam surgunt, maturescunt, & metuntur? sic in nobis. Venimus in vitam, quidam in herba, alij in culmine pereunt, pleriq; in maturitate aliqua metuntur. *Ibidem.*

Nauta in tempestate, & cum mors ante oculos, omnia tamen facit, & fracto etiam velo aut malo nauigat: idem nos facia-

ciamus, & Deo euentum, & nos permittamus. *Cent. 4. epist. 99.*

Quis æs aut metallum perire dixerit cū liquefcit, & statua ex eo funditur? non perit, sed honestatur: & idem in nobis, qui ex informibus & infirmis in splendidam illam imaginem DEI tranſimus. *Cent. 4. miscell. epistola. 71.*

Quid enim diu, aut immodicè lugeamus, quod non poſſe, sed debere euenire, præſciimus? Mortales ſumus: neque amnis, aut perennis aliquis fons, sed torrens, qui impetu currit & decurrit. *Ibid.*

Collectu humorum aliquo naſcimur, raptim cum æuo labimur: & alij breuius, longiùsque progreſſi, finimus. *Ibid.*

Quis enim queri poteſt, ſe in ea conditione eſſe, in qua nemo non eſt? homines nati ſumus, & ex quo nati ſumus, ducimur ad mortem. *Ibid. epist. 70.*

Sapiens cum tranquillitate de morte cogitat: non aliter quam in mari & nauis, ventos & vela ſpectat, quibus fertur in portum: nec tamen ipſa cogitatio eum transfert. *Ex lib. 2. Phyſiol. Stoica, Diff. 1.*

Vide miſerias huius vitæ, ſeriò inquam vide & examina: mala quæ corpori, quæ animo adhiærent, quæ in nobis, in liberis, cognatis, alijs ſentimus, vel audimus: dic ſodes, iuuet inter iſta immortalẽ eſſe? Ego ſentio, vt in turbido mari, optandum defungi; & felices, qui quam celeriter

lerrimè venerunt ad portum. Illum, in quã,
mortis portum, vbi liceat tutò dicere:

----- *spem, vota, timorem*

Compositum placido sine relinquo alijs

Nihil est tam certum, quam incertum
illud mortis. *Centur. 4. miscell. post. epistola.*
30.

Ad mortem maturi omnes sumus, ex
quo nati, imò etiam antequam nati. *Cent. 1.*
ad Belg. epist. 30.

O miseræ, ô vanas cogitationes nostras
& curas! Rideamus, si quis cum tributa po-
pulariter danda sunt, lamentetur, & for-
tem suam accuset. quid ita? quia omnes
cum dant, non superbè solùm sed stultè fa-
cit, qui se vult eximium aut exortem. In
hoc humani generis tributo cur non sic
affecti sumus? cur fatuã mollitiæ quere-
lam & planctum miscemus? Hoc ipso
quòd homo natus es, mori natus es: & si
quid vltra punctum, horam, diem, annum
vuis, donum est non debitum, & in gra-
tia ac lucro ponas. *Centur. miscell. epistola*
32.

Omnium rerum suus quidam orbis, &
vt sic dicam, transitus est: etiam studio-
rum, ingeniorum, quæ alias alibi florent
aut viuunt. *Centur. sing. ad Ital. & Hisp. epi-*
stola. 47.

Mors est finis huius miseræ, & incipi-
um melioris vitæ. *Cent. v. epist. 19.*

Mors non metuenda, sed optanda po-
tius. *Ibid.*

Ni-

Nihil insolens, mortalem mortuum esse, nec diuulsam a nobis, sed prægressum. *Cent. miscell. epist. 93.*

Quid illud miserabile? cum omnia circûspexeris, M O R I. Varia ad illam metam via fert, cliuosa, plana, breuis, longa, eadem tamen omnibus quies, cum peruenere. *Cent. I. epist. 61.*

Quid ipsa Mors, quam timemus? requies, gaudium, & vera vita, aut si quid in ea mali, malis tantum. *Ibid.*

Æterna lex, à principio dicta omni huic mundo, nasci, denasci, oriri, aboriri, nec quicquam stabile aut firmum, arbiter ille rerum esse voluit, præter ipsum. *Ex Const. lib. I. cap. 15.*

Longæuum aliquid in hac machina est, nihil æternum. *Ibidem.*

Quid homini magis conuenit, quàm meditationem mortis habere in animo & oculis? quæ semper imminet, & tacito quodam pede surrepit. *Ex lib. 2. Diss. 1. Physiol.*

Non rectè præsentem diem transigis, nisi statuis illam vltimam transigere. *Ibidem.*

Sapiens, cum tranquillitate de morte cogitat: non aliter quàm in mari & nauis, ventos & vela spectat, quibus fertur in portum: nec tamen ipsa cogitatio eum transfert. At hæc, stultitia, & omnis error noster est in fluctibus, & inter undas iactari volumus; reformi-

reformidamus, quò Naturâ & ratione ducimur, peruenire. *Ibidem.*

Incertum est quo te loco mors expectet: itaque ta illam omni loco expecta. Junior es, quid refert? non dinumerantur anni. *Ibidem ex SENECA.*

Mors medicina malorum est, refugium & asylum, & in his mundi fluctibus portus, quem sapiens nunquam fugiat, imò (Deo vocante) totis velis in eum feratur. *Ibid. lib. 4. cap. 1.*

Incerta sunt omnia rerum humanarum, qui hodie virtutem amplectitur, cras vitium potest; qui nunc bene audit, cras male; & nemo liberos vel optimos habet, ut non cum gaudio & metu aliquo aspiciendos. Obierunt? à vinculis ad libertatem iuerunt. Obierunt? absoluerunt iter, palmam & coronam habent. *Cent. 2. ad Belg. epist. 28.*

Certè Christiani sic edocti sumus, vitam hanc esse carcerem, peregrinationem, miseriarum abyssum: quid ergo querelis prosequimur, quod votis debebamus? *Ibidem.*

Lugere, vix viri est, certè Christiani non est, cui mors est ipsa hæc vita. *Cent. 3. Belg. epist. 31.*

Ego iam diu paratus ad hoc iter: nec cum alio adfectu minor mihi pugna, quam cum metu mortis. Vitam habeo velut hospitem: si manet, non eicio: si abit, non teneo, nec penalam scindo. *Cent. 1. epistola 81.*

Mors generi humano, non tam supplicium

cium est quàm tributum. *Cent. 3. ad Belg. epistola 21.*

Commune hoc mori est, æquè atque illud nasci: ut utrumque certo suo die & hora à fato deuinctum. Nec hominibus tantum, sed opidis, terris, elementis; & quicquid hoc nos sustinet, alit, cingit, imminet, magno illo die vertetur aut peribit. *Ibidem.*

Nos, ex quo nati sumus, non dicam mori possumus, sed morimur; & omnis hora, omne momentum ad metam illam ducit. *Cent. miscell. 5. epist. 86.*

Nati sumus, spes & vota disponimus, in uxorem, in opes, in honores: & dum scena instruitur, ecce mors superuenit, & obliquò oculo ridet & interrumpit. *Ibidem.*

Cui nasci contigit, restat mori. *Ibidem.*

Mortem timeat, qui non sperat viuere post mortem. *Ibid.*

Deus firmiter sanxit, quidquid natum est, mori, & alternante tempore, ac vicibus mori senes, viros, iuuenes, pueros: nullum discrimen est, & cæca illa Dea per omnes furit, & datum ius exercet. *Ex eadem Cent. epistola 97.*

Huc nascimur, & ipsum nasci, est non nisi partus in mortem. *Ibid. epist. 99.*

Hæc est lex vniuersi, nasci, surgere, languere, mori: & velut lampadem hanc vitæ alij alijs tradimus, successione istâ æterni. *Cent. 3. epist. 68.*

Vna mors licita, atque adeò laudata; illa, cùm anima corporeas illecebras, adhuc in corpore constituta, contemnit, & soluta illis vinculis, caelo & sideribus meditatione infertur. *Ex lib. 3. Manud. Dissert. 23.*

Subito morbo extinctus est: quid nouum? homo erat, & omnia in vna voce dicta. *Cent. miscell. epist. 25.*

Mortales sumus, imò nec diuturni sumus: vnâ ratione diu super sumus, si proleminamus qui supersint. *Cent. 2. ad Belg. ep. 22*

Ratio quæ homini propria, & telum in omnia fortuita data, quid dicit? nō nouum esse M O R I: legem communem, quam alij subierunt ante nos, nobiscum subeunt, post nos subibunt. *Cent. 2. ad Belg. epist. 28.*

Quicquid habent ortus finem timet: ibimus omnes,

Ibimus: immensis urnam quatit Æacus umbris.

O caput ô finem Sapientiæ hæc meditari! mortem habere in animo, in oculis; & quæ ad felicitatem post ipsam ducant, præparare. Faciamus, senes, iuuenes, neminem ætas immunem facit: & cùm nati sumus, subijcimus huic tributo. *Cent. 2. epist. 55.*

Deo & communi fato quis se opponat? Iuit quò imus omnes, nec meta sed tempus nos secernit. Alij paullo longiùs, alij breuiùs, sed omnes in eadem via currimus, & ad eundem finem: atque illic pœna, aut palma. *Cent. 3. ad Belg. epist. 1.*

Nonne, ab ipso die natali, adhæret nobis mori? Inopinatò accidit Tua hæc culpa est, qui præscire non potuisti tantum, sed debuisti. *Cent. 3. ad Belg. epist. 5.*

M O S.

Definit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt. *Ex Comment. in C. Plinij Panegy.*

Ad morem etiam vivere debemus, non solum ad Naturam. *Cent. miscell. epist. 41.*

Ferè ita fit, ut in qua gente vitia certa increbuerit, mores iam vocentur, nec in veniam modò veniât, sed laudem. *Cent. 1. epi. 22.*

M V N D V S.

VT cælum, & æternos illos ignes, nemini adspicere fas, sine occulto horrore quodam & religione: non item Terræ sacras opes, & hunc inferioris Mundi (ornatum intelligit) mundum, sine tacita quadam gaudij titillatione & sensu. *Ex lib. 2. de Const. cap. 2.*

Ut moderatoribus Reipub. salus populi suprema lex est: sic Deo mundi. *Ibid. cap. 11.*

Ut ij qui plantaria habent, arbores alias transferunt, alias inserunt, alias excidunt, eaque omnia peritè administrant, & in bonum, inque fructum: sic in vasto hoc mundi agro, scientissimus ille cultor Deus. *Ibid.*

Ut gubernator, in magna naui flectit & regit omnia paruo mota: ita ipse

ipse mundi ille rector DEVS, machinam hanc quatit & mouet, ipse inconcussus. *Ex præfat. in lib. de milit. Romana.*

Vel qui parietem intuentur, ex leui linearum ductu, animalia in eo & facies sibi fingunt: sic multi multarum rerum futiles umbras, nec bona aut dona mundi norunt. *Cent. 1. epist. 8.*

Prouidentia diuina, per gentes ætatesq; spargit artium flores, & magnum hunc mundi hortum, velut per arcolas, variè colit. *Ex dissonct. not. cod. Mirand.*

Quis non attollatur, atque idem vereatur, eum DEVM, & Genios circum se, & supra se cogitat inspectores, eosdem Rectores? & parte alterâ, auaritiam contemnat, viles curas exuat, cum velut patriam & urbem, Mundum sibi circumdat. *Ex lib. 2. Physiol. Diss. 7.*

In mundo hoc quod nos delectat, supero inferoq; , ordo est: in illo perpetuus, in isto instabilis: sed tamen ordo, quem nihil errem, si vitam & animam ipsam dixerim esse mundi. *Cent. 1. epist. 17.*

MVNERA & BENEFICIA.

Sicut parentes, magis magisque indies veneramur & amamus, fratres etsi æquales, leuius: ita beneficia antiqua sanctiora sunt, etsi præsentia suauiora. *Ex epist. Dedicat. lib. 1. Physiol.*

Libentiùs homines iniurias, quàm beneficia meminimus, & vltioni, quàm gratiæ parati sumus. *Ex Saturnal.*

Animum in muneribus spectemus: nec pretium ijs vnquam à se faciamus, sed ab effectu. *Cent. 1. epist. 4.*

Natura hoc dedit, vt beneficia nostra amemus: tum vtique magis, si grati sunt, in quos collata. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 9.*

In digniore munere, etiam grati aduersus baiulos sumus, & munusculo prosequimur. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 3.*

Da beneficia, offer beneficia: non aliter quàm arbor pomis grauida, quæ ramos demittit, & quasi inuitat ad carpendum. *Ibid. epist. 4.*

Generosis animis insitum est, beneficia sua amare. *Cent. miscell. epist. 22.*

Non in beneficijs, vt in pecunia, redditione aut re opus, vt soluaris: sed agnitione & grato animo. *Ibid. epist. 62.*

N A T V R A.

VT pueri ad laruas, aut personas trepidant, & familiares etiam, si in ijs cõspiciantur, fugiunt: sic nos Naturæ, aut rationi non aliena, vmbra & opinione malorũ territi, vitamus aut fugimus, Hinc cõssa trepidi aut inepti. *Ex lib. 2. Manud. Diss. 1.*

Natura ad vtrumq; nos genuit, & contemplationi rerum, & actioni. *Ex lib. 2. Manud. Dissert. 5. EX SENECA.*

Natura femina bonæ mentis nobis ingenuit, fomites & scintillas: quæ in alijs magis minusque elucet, vt est animi temperies: sed tamen opinionum prauitate in omnibus hoc a Natura rectum iam corruptum est: ideoq; Doctrinâ adiuuandum, iustaurandum, depurandum: Non enim vt Sol, ipse nubes obiectas dissipat suâ vi & pertrumpit: ita hic est: adiutorio opus, directione & exemplo. *Ibid. Diss. 10.*

Bona Natura, exercitationem nacta, & Præceptorem candidè docentem, facilè venit ad perfectam virtutis comprehensionem. *Ex Zenone. Ibidem.*

Natura ipsa, legem iugandi & gignendi dedit, & sæcula per sationem propagandi. *Sic rerum series, mundiq; renascitur ætas.*
Cent. miscellan. epist. 82.

Si Naturam nostram, id est, infirmitatem & caliginem seriò videas, quid magnum præsumere est, aut adfirmare? maximos viros, ea res iam olim ad cõfessionem ignorantis adduxit, atque adeò veri desperationem. *Ex lib. 2. Manud. Differ. 4.*

NECESSITAS.

Necessitate nihil fortius est, & agnatam malis Publicis credas. *Ex Const. lib. 1. cap. 21.*

Necessitatis non aliud effugium est, quâ velle quod ipsa cogat. *Ibid.*

Si quis agonem cum Necessitate suscipit,

pit, succumbit: & quod magis mirere, succubuit, priusquam suscepit. *Ibid.*

 NOBILITAS.

IN omni Nobilitate, etsi corrupta, generosum tamen aliquid & ambitiosum inest. *Ex not. ad Politica.*

 NUGATORES.

Sicut medicus inter egros, sine sensu morbi sui agitat: sic inter nugatores serij, inter vanos graues esse conemur. Impediant nos fortasse, non mutant. *Ex Physiol. lib. 3. Dissert. 1.*

 OBEDIENTIA & INOBEDIENTIA.

Miles in castris, audito viæ signo, vasa colligit: audito pugnae, deponit: animo, oculis, auribus, paratus ad omne imperium & intentus: idem nobis sit, & in hac militia sequamur alacres & pleno gradu vocatam Imperatorē. *Ex lib. 1. de Const. c. 14.*

Sol, Luna, sidera, elementa, & omnia hæc sæcla animantium parent non inuita, & obaudiunt supremo illi Deo: nobilissimum rerum homo, solus in conditorem suum calces iacit & resistit. *Ibidem.*

Libenter religiosi subditi parent, & miti fractaq; ceruice humanum iugum ferunt, qui semel illud diuinum. *Ex lib. aduersus Dialogistam.*

Oportet seipsum ita conformare, vt Deo pareamus, & acquiescamus in omnibus,
quæ

quæ eueniunt, & volentes sequi, vt quæ ab optima mente fiant & proficiantur. *Ex lib. 2. Manuduct. cap. 16. Ex Epictoto.*

Semper magis volo, quod DEVS vult, quàm ego. Adiungar, & adhærebo illi, velt minister & affecla: cum illo appeto, cum illo desidero: & simpliciter, atque vno verbo, quod DEVS VULT, VOLO. O in cælo nata (exclamat LIPSIVS) atque illinc profecta verba! ô ego EPICTETE, sic afficiar! ausim ad DEVM sublatis oculis dicere! Vtere me in reliquû, vbi lubet, & vt lubet, mente tecum consentio, æquanimus sum, nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur. Quocumque me voles, ducito; quam vestem lubet, circumdato. Magistratum me gerere vis? priuatum esse? manere, fugere, in pauperibus, in opibus agere? Ego non assentior tantùm, sed in his omnibus te defendam & tuebor. *Ibidem.*

Constitui & conformari voluntatem meam diuinæ. Vult me febricitare? & ego volo. aliquid aggredi? volo. potiri? volo. non potiri? nolo. mori? volo. *Ibid. lib. 3. Dissert. 12. Ex EPICTETO.*

Parere boni possunt & debent: seruire, ancillari, adulari, non nisi vitiorum ancillæ. *Cent. 1. epist. 34.*

Hæc summa, vel vna potius sapientia, Deo & fati obsequi. *Cent. 3. ad Belg. epist. 34.*

Heu, quanta quies, Deo se dare, ab eo pendere, decreta eius sine murmure exequi & sub-

& subire? *Cent. sing. ad Germ. & Gallos, epistola 25.*

O D I V M.

A Deò altè insita pestis hæc regnis, vt nesciam, an vlla ars, aut astus penitus eam euellat. *Ex lib. 4. Politic. cap. 11.*

Causa prima & motio, euertendis regnis, plerumque ab odio est: sed extrema & efficax, maximè a contemptu. *Ibid. cap. 12.*

Nunquam regnum stabile, vbi in diffidijs aut odijs ij qui reguntur. *Ex lib. contra Dialog.*

O P E S.

VT pueri nuces, talos, trochos affectat atque æstimant: ita nos honores, opes, famam, quid nisi lusus? *Ex lib. 2. Dissert. 1. ad Stoic. Philos.*

Vt ferrum, facile ad rixas aut pugnam irritat: sic ad vitia opes. *Ibid. Diss. 24.*

Virtuti aut Deo nunquam carus, cui caræ opes. *Ex lib. 4. Polit. cap. 11.*

Opes tuas vides & omnia hæc externa? nec tua vides: abeunt, veniunt, ludicrum, aut potius ludibrium quoddam Fortunæ. *Ex lib. 3. Physiol. Diss. 3.*

Opes impediunt, & velut sarcinæ aut lacinie sunt ituris ad bonam mentem. *Ibid.*

Vestes longæ & talares corpora: opes au-

tem nimie animos impediunt. *Ex lib. de milit. Romana.*

Beatus est qui mentem, & vnâ opes habet. *Ibidem.*

Quidquid artium ad opes ducit, ducit ad vitia: nec animum solum emollit & effeminat, sed corpus. *Cent. epist. 8.*

Vti opinio diuitias bonum fecit, sic eadem inopiam malum. *Cent. 1. epist. 43.*

Mihi firmum, plus mentem quam manus valere, plus industriam quam omnes opes. *Cent. miscell. epist. 49.*

Opes & vita caduca & fluxa sunt: & opes quidem ante nos sæpè, vita nobiscum semper abit: nomen autem & Fama æternant, eaque sola, cum non erimus, hic erunt. *Ex oratione de Calumnia.*

Vt athleta in stadio oculos ad metam & brauium intendunt: sic nostra mens debet ad cælum, & æternam illam palmam. Cetera caduca, oriuntur & abeunt nobiscum; nec stirps, aut genus, aut opes sunt, quæ eximant nos aut nostra à mortalitatis hac lege. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 5.*

OPINIO.

Recta Ratio est, de rebus humanis diuinisque, quatenus eæ ad nos spectant, verum iudicium ac sensus ducens ad Constantiam. Huic contraria, OPINIO, de iisdem futile iudicium ac fallax, ducens ad leuitatem. *Ex. Const. lib. 1. cap. 4.*

Vto-

Ut oculus, qui per nebulam aut aquam inspicit, res metitur falso modo: sic animus qui per opinionis nubem. *Ibid. cap. 5.*

Ut ij qui tyrannidem sublatam è ciuitate volunt, tollunt ante omnia, euertūtque arcem: sic nobis, si serid ad bonam mentem pergamus, deijciendum castellum Opinonis. *Ibid.*

Vidimus stultos & risimus, quos custos aut magister alligabat straminis, vel exigui filinodo, atque illi stabant quasi ferro aut verâ compede deuincti: similis nostra hæc amentia, qui futuli Opinonis vinclo adstringimur ad certam terræ partē. *Ibid. ca. 9.*

Ut chameleon, quoniam aurâ (vt aiunt) non cibo vescitur, hianti semper est ore: sic illi cupidine, quos ventus inflauit vulgarium opinionum. *Cent. 1. epist. 12.*

Vti opinio diuitias bonum fecit, sic eadem inopiam malum. *Ibid. epist. 43.*

Sicut in Iberia, equas à vento Fauonio concipere aiunt, sed euanido fetu: sic qui ab Opinione blandiente grauidi, serium nihil pariunt, tumidi tantum vtres. *Cent. 4. miscell. epist. 55.*

Sicut musto tempus dandum, vt despuer: sic animis, vtî feces illas eijciant opinionum. *Ex lib. de vna relig.*

Opinio nihil aliud est, quam aut falsa de rebus iudicare, aut vera, sed infirmiter nec rationi suffultum. *Ex lib. 3. manud. ad Stoicam Philos. Dissert. 8.*

Nimis citò opinionibus abducimur: & quid aliud ferè hodie nostrum dilcere, aut docere? etiam in externis rebus opiniones vexant, & grauiora aut maiora omnia veris proponunt. Inde metus aut dolores: spernamus, & vt floccos aliquos niuis, ad Rationis Solem liquefaciamus. *Ibid.*

OTIVM vide IGNAVIA.
PATIENTIA.

Constantiæ vera mater, Patientia & demissio animi est: quã definitio RERVM QUÆCVMQVE HOMINI ALIVNDE ACCIDVNT AVT INCIDVNT VOLVNTARIAM ET SINE QVERELA PERFESSIONEM. *Ex Const. lib. 1. cap. 4.*

Robur pugnae fatalis in patiendo est, & victoria in cedendo. *Cent. 1. epist. 43.*

Quod necessariò patiendum est, etiam libenter patiamur. *Ibid. epist. 61.*

Patientia & silentio opus, contra istos Arridas, & qui soli imperitare alijs volunt: aut certè ostendimus, nihilo plus nos sapere quàm ipsos. *Ex epist. ad Francisc. Suvvertium inedita.*

Quicquid ex Naturæ constitutione patiendum est, magno excipiat animo. *Ex lib. 2. Manud. Dissert. 16.*

Leuamentum aliquod miseriarum est, non reniti. *Cent. 1. epist. 61.*

Omnino leuius omne malum fit, leniter ferendo. *Cent. 2. epist. 47.*

P A T R I A.

VT parentis aspera aliqua verba, filius patienter audit, extraneus aspernatur: ita civis patriæ incommoda meritò fert, quæ extraneus spernit. *Cent. miscell. epist. 9.*

Sicut ij, qui à litore in altum prouecti sunt, oculis votisq; terram requirunt: sic ij qui sunt in peregrinis locis, ad patriam suam idemtidem adspirant. *Cent. 2. ad Belg. epistola. 54.*

Patria est, quæ nos excepit, fouit, aluit: communi gentium sensu, sanctissima & antiquissima parens. *Ex Const. lib. 1. cap. 10.*

Vis magna & laciendi, & attrahendi in natali solo, quod primùm corpore isto pressimus, pedibus institimus: cuius aërem hausimus: in quo infantia nostra vagant, pueritia ludit, iuuentus exercitata & educata est. Vbi familiare oculis cœlum, flumina, agri: vbi longâ serie cognati, amici, sodales: & tot gaudij illecebræ, quas frustra terrarum alibi quærimus. *Ibidem.*

Culti siue Barbari, ita adfixi sunt genitili huic glebæ; vt quisquis vir est, nihil ambigat mori pro ea, & in ea. *Ibid.*

In patriam improbi, cui & quando vnquam boni: ne spera. Abscindendi sunt. *Ex lib. 4. Polit. cap. 10.*

Patria, nonne proximo à Dijs gradu est. *Ibidem.*

P A X.

Quamuis magna, quãuis diuturna bella,
Pace finienda sunt; cuius & nomē dul-
ce, res verò ipsa cùm iucunda, tùm saluta-
ris. *Ex lib. Polit. 5. cap. 19.*

Pax summum D E I munus. *Cent. ad Bel-
gas 1. epist. 74.*

Pax mater artium. *Cent. ad Germ. & Gal-
los, epist. 96.*

P E C V N I A.

Pecunia adeò necessaria, vt quemadmò-
dum medici negant, sine neruis homi-
nes ambulare possit: ita nec bellum vsquam
progredi sine illa: hæc motum, hæc animũ
illi dat. *Ex lib. 1. Polit. cap. 6.*

P E C C A T V M.

Peccamus & peccauimus omnes: nati in
labe, viuimus in labe: & cœli iam arma-
mentaria, sine telo sint, si fulmina semper
missa in merentes. Non enim vt pilces in
solo nati & alti, salem tamen non referunt:
sic censendum homines in hac mundi sæce
esse, ipsos sine sæce. *Ex Constant. lib. 2. c. 16.*

P E R E G R I N A T I O.

VT ij qui febriunt, iactant se inquietè,
& versant, & lectum subinde mutant,
vanâ

vanâ spe leuamenti : in eadem caussa nos, qui terram è terra frustra mutamus, ægri scilicet mentis. *Ex Const. lib. 1. cap. 2.*

Vt coronarij, bellissimas saltem herbas floresque stuppis aut coronis innectunt, salubrium nulla cura: ita multi, non tam cum fructu quam cum voluptate peregrinâtar, plura ad aspectum, quam ad salutem referentes. *Cent. 1. epist. 22.*

Vt picturâ, quamuis egregiâ, oculi non diu delectantur: sic omnis hominum locorumq; varietas, nouitate nos capit, sed ad breue tempus. *Ex lib. 1. de Const. cap. 3.*

Vt in vrbe, vbi lues est, si agas, vites domus aut vias totas eâ infames: sic in Peregrinatione moneo, fugiendos esse homines & loca vitij nota & infecta. *Centuria ad Ital. & Hisp. epist. 63.*

Proprium est ægri, nihil diu pati, & mutationibus, vt remedijs vti. Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, & littora pererrantur, & modò mari se, modò terra experitur præsentibus, semper infesta leuitas. *Ex Const. lib. 1. cap. 2. EX SENECA.*

Peregrinatio, leuia tædia quædam animorum & velut nauseas tollit: non tollit morbos, qui altius penetrarunt, quam vt externa vlla medicina hac pertingat. *Ibid.*

Socrates interroganti cuidam, quid ita peregrinatio sibi nõ profuisset? scitè respõdit, *Non enim te deseruisti.* Quocunque fugies, corruptû corruptorèq; animû tecum

habebis, comitem non bonum. *Ibidem.*

Sapiens vbicumque est, peregrinatur: fatuus semper exulat. *Ibid. lib. 2. cap. 19.*

Humiles & plebeia animæ domi resident, & adfixæ sunt suæ terræ: illa diuinior est, quæ cælum imitatur, & gaudet motu. *Cent. 1. epist. 22.*

Vagari, Iustrare, discurrere quiuis potest, pauci indagare, discere, id est verè peregrinari. *Ibid.*

Peregrinatio fiat non cum voluptate solum, sed cum fructu. *Ibid.*

Peregrinatio, instrumentum est vsui rerum & prudentiæ. *Cent. miscell. epist. 88.*

Scopum Peregrinationis habebis scientiam & prudentiam: addo virtutem: quæ suprema cura, & finium, vt ita dicam, finis. *Ibid. epist. 73.*

Prodest sanè omnibus, & vigor à peregrinatione sumitur: sed istis manifestiùs, quibus continua hæc desidia & pertinacis studij continuatio, non tristitiam aut tædium solum inducit, sed morbum. *Cent. 2. ad Belg. epist. 46.*

PEREGRINI.

VT in quam domum vespillones veniunt, signum est funeris: sic Principibus labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Quod tamen ita intelligo, si multi. Nam vt vnus aut alter inter ceteros, fide aut ingenio valdè cognitus, haud perti-
naci-

traciter damnem. *Ex notis ad Politica.*

PERTURBATIO.

NON enim ut pulvis aut paleæ ab omni vento, sic nos rari à perturbatione debemus: sed hanc coërcere, & animum pondere illo rationis & sapiëntiæ stabilire. Quid autem ea dicit? nihil insolens euenisse, mortalem mortuum esse, nec diuulsum à nobis, sed prægressum. *Cent. misc. epist. 93.*

PHILAVTIA.

Sicut vermes è dulcore & bellarijs nati, non nisi amariore pharmaco pelluntur: simile in ista ingeniorum corruptela an lasciuia, quæ à suavi & blandiente illa Philautia est orta. *Ex not. dispanct. cod. Mirand.*

PHILOSOPHIA & RATIO.

VT montium altitudo procul nõ apparet, sed cum accesseris: nõ ite Philosophiæ splendor, nisi cum pernõris. Pernoscẽ autem sine Christiana veraque religione non potest, quam prælucentem si tollis: fateor ecce, & clamo, ludibrium illa, vanitas, delirium. *Ex Præfat. ad Constantiam.*

Ut in aqua aut pelui, defectum Solis intuemur, idque per Solis ipsius radios, obliquè & quodam flexu: sic in recta Ratione res diuinas; sed cæue censeas aliter, quam per Deum ipsum. *Ibid.*

In pugna , equitum aut statarij militis, præcipuam operam esse scimus: spernis igitur sagittarios & funditores? In domo exstruenda architecti maximam laudem & vsum: tolle sine operas igitur & ministros? Idem in germano Philosophiæ studio cense. Diuinæ illæ litteræ veri roboris , veræ virtutis & constantiæ solidæ effectrices: nec tamen humanam prorsus Sapientiam sperne, eam dico quæ non se effert, sed seruit placidè & ancillatur. *Ibidem.*

Vt vinum, quo nil salubrius, quibusdam in venenum est: sic illis, Philosophia, quâ abutuntur. *Ibidem.*

Vt Heliotropium & flores quidam ingenio suo semper ad Solem: sic Ratio ad Deum obuersa, & originem sui. *Ex Const. lib. 1. cap. 4.*

Vt nauis vacua & inanis circumagitur in mari omni vento: sic in nobis vaga illa mens, quam pondus & tanquam faburra rationis non stabiliiuit. *Ibid. cap. 5.*

Vt in prælio, non gladijs solum, & grauioribus telis res geritur, sed etiam funditorum quedam opera & leuis armatura est: sic in hac nostra contra vitia & adfectus militia, non solum illo penetrante verbi mucrone, sed etiam philosophorum hastis & sagittis aptè interdum & vtiliter pugnamus. *Cent. 1. epist. 99.*

Sicut in arbore Radicem habes, ex ea Truncum, ex his Ramos, deinde Ramulos
aut

aut Flagella : sic in Philosophia scito , primum aliquod decretum instar Radicis habere , proximum vt Truncum , minora vt Ramos ; denique copiam illam Præceptorum succedere & ex ijs surgere verè Flagella ad animos erigendos & incitandos. *Ex lib. 2. Manud. Diff. 12.*

Sicut medicinæ nullus vsus fructusque est morbos à corporibus non depellentis : non item Philosophiæ , nisi vitia ab animo. *Ibid. lib. 2. Dissert. 1. Ex Stobæo.*

Subtilis, oblectans, alta esse potest Philosophia : sed vt platani aut cupressi umbrâ & oblectatiunculam præbent, fructum nõ habent : sic censendum , vbi solæ aliæ illæ partes, hæc omissa. *Ibidem.*

Non vt aues , quæ canere aut loqui doctæ , nihil ultra voces sciunt : sic nobis Philosophia discenda aut habenda. Apage : sed illa animo induenda est : atque etiam (teste SENECA) circumdanda est, velut inexpugnabilis murus, quem Fortuna multis machinis lacessitum non transit. *Ibidem.*

Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes numeros, nexuque perdidit, quorum vsus sub aduersario rarus est, sed qui in vno, se aut altero bene & diligenter exercuit : nec enim refert, quàm multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est : sic in Philosophia studio, multa delectant, pauca vincunt. *Ibid. lib. 2. cap. 8. EX SENECA.*

Vt cælo tranquillo, & mari placido, nautæ quæ contra tempestates sunt, expediunt: sic in adolescentiâ, nondum tot curis aut fluctibus exposita, iure præpares (Philosophiam intelligit) quæ sint illis mitigandis aut tollendis. *Ex lib. 1. Manud. Dissert. 1.*

Philosophiæ amor & notitia aliqua etiam adolescentiæ adsciscenda est, neque vlla ætas ei immatura. *Ibid.*

Neque iuuenis aliquid differat philosophari, neque senex defatigetur. Non enim immaturus quisquam aut victus & effectus est ad animæ sanitatem. Hæc EPICVRVS, quem certa fides est, ab anno XIV. ætatis, Philosophiæ operatum esse. *Ibid.*

Philosophia adiumenti, non noxæ vicem habet, si pietas adest, & religio præest. *Ibid. Dissert. 3.*

Omnes isti Philosophorum riuuli, aut eunt aut ducuntur à bonis, ad veritatis nostræ perenne flumen: & ornant siue augent illud, saporem tamen non mutant. *Ibid.*

Philosophia ab orbe condito, & vbiq; ferè orbis fuisse constat, nec sine directione & numine diuino. Conservanda enim semper aliqua femina cælestis & humanæ sapientiæ: etsi in alias ac malas sæpè fruges degenerarunt. *Ibid. Dissert. 5.*

Vnum hominis & proprium bonum, RATIO, quæ noscenda & colenda est. Neque

que enim, vt Homericus ille Laërtes, hortum, agros, domum, omnia curabat, se neglecto: sic nos oportet corpori, & externis mancipari, animi seculos. Imò verò TENOSCE. Et nimirum hanc vim habet præceptum Apollinis, ait Cicero, quo monet, vt se quisque noscat. Non enim id præcipit, vt membra nostra, aut staturam figuramue noscamus: neq; nos corpora sumus: neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico. cum igitur, NOSCE TE, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum: nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te. *Ex libro 3. Physiol. Dissert. 3.*

Castè & cautè Philosophiâ vtendum est, eaque ad normam, & velut lapidem exploranda cælestis legis. *Cent. 1. epist. 99.*

Hæc vera Philosophia est, posse habere, posse carere: non cupere absentes, capere & præsentis diuitias, iisdem vti bene, & bonis subleuandis. *Ex Admirand. lib. 2. cap. 15.*

Recta Ratio est, de rebus humanis, diuinisque, quatenus eæ ad nos spectant, verum iudicium ac sensus ducens ad Constantiam. *Ex Const. lib. 1. cap. 4.*

Rationi origo à celo, imò à DEO est: & magnificè eam SENECA celebrauit, *Partem in homine diuini spiritusmersam. Ibidem cap. 5.*

Philosophia etiam in tristibus & turbidis hominem serenum quietumque reddit. *Ex Cent. 1. ad Belg. epist. 47.*

Philosophia suadet abducere animum à cogitatione & solitudine: quæ duæ velut nutrices sunt dolorû. *Cent. 2. ad Belg. epist. 19.*

Hoc est verè philosophum, imò sapientem esse, exerere & ostendere in sole atque opere, quæ aliis in umbra & otio disseruntur. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 45.*

Philosophiam ama, & sine vento scientiam, & sine nouitate doctrinam. Publicâ viâ qui excidit, & semitas quærit, errores & flexus quærit. *Cent. miscell. epist. 99.*

P I E T A S.

VT poma in Iudæa, non poma nascuntur, quæ contacta in fumum abeunt & vaporem: talis verbosa illa Pietas, sine vitæ hoc operum succo. *Ex Polit. cap. 6.*

Sine moribus Pietas, quidquid vultur, voce, calore præferas, vana est, imò nulla. *Ibidem.*

Pietas est legitimus & debitus honor & amor in Deum & parentes. *Ex Constant. lib. 1. cap. 11.*

Nullum sæculum hoc nostro feracius religionum fuit, sterilius pietatis. *Ibid. ca. 9.*

Pietas sit magis in corde, quam in ore: factisque magis exercenda, quam verbis. *Ex præfat. ad Constant.*

Pietas & Dei metus, quasi frænum est,
& coër-

& coërcitio in animis ab omni rebellione
& insolenti motu. *Ex lib. de una religione.*

Humana hæc quid sunt, nisi iactationes
& fluctus? in quibus nihil firmum est, nisi
ad anchorâ eâ alliges veræ Pietatis. *Cent. 1.
epist. 52.*

Pietas sit iuuentuti in mente, modestia
ante oculos & demissio animi: ad quam
nunquam satis hortanda. *Ibid. epist. 78.*

Sine Pietate & Virtute, nemo verè ho-
nestus vniquam erit. *Centur. 2. epistola 69.*

Alibi molles fortassè sumus: in re Pie-
tatis, sicut ferrum. *Cent. ad Hisp. & Ital.
epist. 11.*

Pietas, caput virtutum. Quisquis eâ ca-
ret, aut negligit, quid veri, non dicam chri-
stiani hominis, sed hominis habet? Ad
eam nati, omnes nos quoque peculiari Dei
gratia instituti sumus: teneamus & am-
plectamur, vnicam quietis hic anchoram,
vnicum ad perpetuam salutem Viaticum &
viam. *Cent. 4. miscell. epist. 17.*

Pietas præit, & primas in humanis du-
cit. *Cent. 2. ad Belg. epist. 30.*

P O P V L V S.

VT Cyclops, apud Homerum, amisso
vnico oculo: huc illuc impingitur, &
denique ruit: sic moles populi, sine lumine
Principatus. *Ex Dissert. ad Principes Albert.
& Isabell.*

Malus dignitatis, aut virtutis iudex est populus: & non raro quorum meritis in tempub. & populum ipsum singularibus nulla gratia, nulla merces digna ne cogitari quidem posset, populo disceptatore, pro mercede poenam, pro laude ignominiam, pro gratia indignationem acceperunt. *Ex pref. ad varias lect.*

Multos, & paucè dicam innumerabiles, qui bello & armis patriæ fines vel propagant, vel defenderint, inuenio. At qui consilio, auctoritate, prudentiâ regere ac gubernare tempub. contra popularem impetum constanter & sapienter possent, paucos ex omni memoria meminî legere. *Ibid.*

Vt periculosum mare, & hiemis tempore, qui ingreditur, consulere & interrogare solet de gubernatore & nauarcho: sic popularium animi intenti, per turbida hæc tempora, in eos qui ad clauum nostrum sedent. *Cent. 2. ad Belg. epist. 32.*

PRÆCEPTA vide MONITA.

PRINCIPES vide REGES.

PROBITAS & HONESTAS.

VT pictor leni manu & volante penicillo, rugas, verrucas, naevos in facie exprimit, haud tam facile ipsam: sic Probitatem laboriosè imitatur, nullo negotio maculas illas animorum. *Cent. 1. epist. 22.*

Inutilis, imò noxia scientia omnis prudentia-

dentiaq; est, secreta à probitate morum: illa ad ornatum adhibenda, hæc ad salutem. *Ibidem.*

Latent plerumq; verè probi, & in pectore intimo domicilium Virtus habet, non in vultu aut fronte. *Ibidem.*

Interno iudice si probus audias, nihil addent aut dement tibi malorum sermones. *Ibid. epist. 77.*

Sine Pietate & Virtute nemo verè honestus unquam erit. *Cent. 2. epist. 69.*

Hic iam est cursus rerum, & lex quædam, nisi fallor, mundi; ut honesti, honestaq; iaceant, & exurgat quicquid turbidum est, aut prauum. *Cent. sing. ad Ital. & Hisp. epistola 17.*

PROVIDENTIA vide DEVS.

PRVDENTIA vide VIRTVS.

PVDOR & VERECVNDIA.

Ornamentum iuventutis Pudor: feges veræ gloriæ & doctrinæ. *Cent. sing. ad Ital. & Hisp. epist. 10.*

Pudor in animo, & in vultu rubor, gemmæ pulcherrimæ sunt in iuventute. *Ex milit. Romana, Dial. 10.*

Sine Verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. *Ex Manud. ad Stoicam Philof. Dissert. 13.*

VT magis in morbo iudicantur, qui ta-
be aut marcore laborāt, quā qui in-
flammatione aliquā aut febris; & tamen hęc
magis apparent: sic in grauiore pœna im-
probi, qui lento illo passu ducuntur ad æ-
ternam suam mortem. *Ex Const. lib. 2. cap. 14.*

Vt in vno eodemque homine, iure in se-
necta ætate delictum aliquod punimus ad-
missum in iuuenta: sic DEVS in imperijs aut
regnis peccata vetera: quia externæ com-
munionis ratione, vnum quiddam Deo
sunt, & coniunctum. *Ibid. cap. 17.*

Sicut in homine, cum manus furto, pe-
nis libidine, venter in gluuie peccauit, to-
tum corpus id luit: sic in communi aliquo
cœtu, paucorum delictum expetere sæpè
in omnes. præsertim si ij qui peccant velut
digniora quædam membra sint, vt reges,
principes, magistratus. *Ibid. cap. 17.*

Vt medici postquam vsserunt & secue-
runt satis, non omittunt statim ægrum aut
deponunt, sed benigna fomenta quædam
& acopa adhibent, doloribus mitigandis:
sic DEVS illos quos ferro & igne Sapientiæ
sue purgasse satis videtur, lenibus quibus-
dam alloquijs fouet, & tractat manu, quod
dicitur, molliore. *Ibid. cap. 28.*

Si magnum æs alienum habeam, & ab
illo debitore statim exigam, huic in diem
reponam: quid culpes? arbitrij hoc cer-
tè mei & spontis. Atqui idem facit magnus
ille

ille Deus, cui cum pœnam improbi omnes debeant, ab istis eam statim exigit, in alijs differt, sed cum fœnore soluendam. *Ibid. cap. 13.*

In externa omni punitione, Deus non præsentia solum adspicit, sed præterita etiam respicit: & diuum horum temporum momentis temperat equabiliter iustitię suę lancem. *Ibid. cap. 17.*

Paucorum punitione terret & emendat omnes. *Ibid.*

Hoc tene, differti aliquando impios, non dimitti: nec crimen quemquam in pectore gestare, qui non idem Nemefim in tergo. *Ibidem, cap. 13.*

Culpe comes iustissimè pœna semper est. *Ibid. cap. 16.*

RATIO vide PHILOSOPHIA

REGES & PRINCIPES.

VT maria suâ sponte quieta, vento intumescunt: sic Principes, naturâ sape boni aut mites, per Calumniatores in ardescunt. *Ex Orat. de Calumnia.*

Vt ij qui apud Deum verba faciunt, corpore, gestu, sermone modici sunt ac reuerenter: sic nos decet apud Principes. *Ex præfatione ad admiranda Romana.*

Vt gubernator in magna naui flectit & regit omnia paruo motu, imò, vt ipse mundi ille rector DEVS, machinam hanc qua-

tit &

tit & mouet ipse inconcussus : ita sedatus
Princeps regit Rempub. *Ibidem.*

Vt a Sole, in subiecto hoc orbe, lux aut
tenebræ: sic a Principe apud subditos, pra-
ua pleraq; aut recta. *In pref. ad lib. Politicor.*

Sicut sidera illa splendorem habent, sed
vt vñibus mortalium deseruiant: sic Princi-
pes dignitatem, sed cum munere officioq;
deuinctam. *Ibidem.*

Vt regulam oportet rectam esse, ad quam
cetera adæquantur: sic metitò Principem,
ad quem alij diriguntur. *Ex not. ad Polit. c. 9.*

Sicut anima corpori præest, & animæ
ratio: sic Princeps, hæc populum regit, &
eadem illa, ratio ipsum. *Ex dissert. ad Prin-
cipes.*

Vt Cyclops apud Homerum, amisso v-
nico oculo, huc illuc impingitur, & deni-
que ruit: sic moles populi, sine lumine illo
Principatus. *Ibid.*

Quemadmodum Sol non lucet modò,
sed fouet, vegetat, animat: sic verus popu-
lorum Rector, in splendore suo commodat
& iuuat. *Ibid.*

Sicut militares stationes in excubijs con-
tra hostem: ita Imperator, qui in perpetua
vigilia & Reipub. cura. *Ex Comment. in Pli-
nij Panegy.*

Sicut omnibus in hac vita positis ac lo-
catis, communis est cæli spiritus, lux diei:
ita Clementiam maximi Principis sentiant
vota & facta cunctorum. *Ibidem.*

Sicut

Sicut gubernator in nauis, magistratus in ciuitate, Imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima: sic reuera Princeps est sapiens in genere humano. *Ex lib. 3. Mand. Diss. 13.*

Sicut Zeuxis ille pictor, olim Iunonem effigiaturus, virgines Agrigentinorum pulcherrimas conduxit, & e lingulis aptauit, quod præstantissimum in quaque esset: ita Princeps & Politici viri, ab exemplis factisq, illustribus potentiam (ea Iuno est) & prudentiam suam forment. *Ex lib. 1. cap. 1. exempl. Polit.*

Sicut adamas, nobilissima inter gemmas, infractam vim habet: sic Princeps debet animi robur. *Ibid. cap. 5.*

Vt in corporibus grauissimus est morbus, qui a capite diffunditur: sic qui a Principe. *Ibid. lib. 2. cap. 8.*

Sicut suprema mundi pars, ventis, fulminibus, pluuijs non turbatur: nõ item debet Principes. *Ibid. cap. 16.*

Vt priuati parentes, liberos peccantes sepe castigant, interdum virgas modò ostendunt, & metum incutiunt pro pœna: sic Princeps facit, & faciẽdo sic emendat subditos. *Ibid. cap. 12.*

Reges vt fulmina sunt, dura frangunt, mollibus plerumque illæsis. *Cent. 1. epist. 4.*

Absque Virtute, Princeps magnam famam habere potest, non potest bonam: sed nec firmam aut diuturnam potest, nisi nixa sit

xa fit eo fulero. *Ex præf. ad milit. Romanorum.*

Caligo mentis humanae in nulla rema-
gis, quam publicâ apparet: siue quia ipsi
Principes & eorum consilia recondita, te-
cta: siue quia Fata, & illa implexa rerum se-
ries, semper in obscuro. *Cent. 1. Belg. epist.*
39.

Decorum hoc est apud Principes, ut sub
blando titulo laudis & boni, quæ faciunt
recognoscant: & alij, quæ facere deberent,
cognoscant. *In Dissert. ad Archid. Alber-
zum & Isabellam.*

Illius Principis magnitudo stabilis, fun-
dataque est, quem omnes tam supra se esse,
quam pro se sciunt: cuius curam excubare
pro salute singulorum, atque vniuersorum
quotidie experiuntur. Quo procedente, nō
tanquam malum aliquod aut noxium ani-
mal è cubili profilierit, diffugiunt, sed tan-
quam ad clarum & beneficum sidus certa-
tim aduolant, obijcere se pro illo mucroni-
bus insidiantium paratissimi: & substernere
corpora sua, si per stragem illi humanam,
iter ad salutem sternendum sit. *Ex Dissert.*
ad Principp. EX SENECA.

Princeps est imago & exemplar Dei in
terris, rerum moderator & arbiter, in cuius
manu positæ opes, dignitas, vita omnium
nostrum. *Ibid.*

Non præesse solùm Princeps, sed pro-
desse debet: nec sibi tantùm ciues datos,
sed

sed se etiam ciuibus arbitrari. *Ibidem.*

Diuinum Numen, omnimodo, omni tempore, iuxta leges patrias colendum à Regibus & Principibus, & vt alij colant, efficiant. *Ex lib. de vna religione.*

Vt Principis est in omni virtute populo præire: ita in religione maximè, quæ Princeps & caput virtutum. *Ibid.*

Princeps sublimis factus, & elatus à Deo, meritò veneratur & colit magnitudinis suæ auctorem. Nihil facit, quid expectet, nisi iterum deijci. *Ibid.*

Legitimus Rex, salutem & commoda subditorum præcipuum habet, imò vnicum finem. *Ibidem.*

O verè iustum & legitimum illum Principem, qui in summo fastigio, non magnus magis quam bonus audire desiderat, & duas res diuersissimas, Potentiam ac Modestiam miscet! *Ex præfatione ad Politicam.*

Duo sunt quæ legitimum, & numeris suis absolutum Principem faciunt, Prudentia & virtus: illa vt actionibus eius eluceat, hæc in vita. *Ex lib. 2. Polit. cap. 7.*

Vt in actionibus omnibus tardum lentumque Principem esse expedit: sic in fide & assensu. *Ibid. lib. 4. cap. 14.*

Nunquam regent, qui non tegent. *Ibidem.*

Regum Principumq; stemmata, studijs Virtutis & Prudentiæ illustranda: cætera externa aut aduentitia sunt; hæc animi ipsius

ipius propria, & æterni illius æterna bona.
Cent. 4. miscell. epist. 31.

Principes proximi à Deo sunt, & vicem atque imaginem eius in terris repræsentant: ergò & colere ac venerari magis par est, quò propius & norunt supremum illud bonum & senserunt. *Ex præfatione in Divinam Aspricollem.*

Felices illi Principes, quibus electio & iudicium est hominum, quibus fidant & credant. *Cent. 2. epist. 47.*

Beatum statum ominamur, ubi præmia ex merito sunt: nec aliud certius optimi & sapientissimi Regis argumentum, quam boni sapientesq; ministri. *Cent. 2. ad Belg. epist. 32.*

In consilia aut actiones Principum non temerè te immitte aut penetra. *Ibid. epistola 79.*

Cauendum ab aulicis corruptoribus in ipsa aula: & nil nisi serium ac probum ad iuniores Principes admittendum. *Ex not. ad Politica.*

Lector, hoc à me disce, ita proprium Principis esse curare & tueri sacra, ut plerique veterum habuerint duo hæc munera coniuncta, Sacerdotium inquam & Regnum, *Ex lib. contra Dial.*

REGNUM & IMPERIVM.

VT ferro, consumens quædã rubigo per naturam adgnata est; ligno exedens caries

caries aut teredo : sic animalibus , opidis , regnis , internæ & suæ causæ pereundi. *Ex Const. lib. 1. cap. 15.*

Vt in vno eodemque homine , iure in senecta delictum aliquod punitur admissum in iuuentute : sic DEVS in imperijs aut regnis , peccata vetera ; quia externæ communionis ratione vnum quiddam DEO sunt & coniunctum. *Ibid. lib. 2. cap. 17.*

Vt si guttas aliquot aceti , in magnum vas aque mullæ iaciam , non ipsum corrum-pam , sed gratiam fortasse magis ab acore aliquo addam : sic in magnis Imperijs , magis sentitur bonorum bonitas , si pauci interueniant acidi aut amari. *Ex admirand. lib. 4. cap. 8.*

Nunquam Regnum stabile , vbi in dissidijs & odijs ij qui reguntur. *Ex lib. contra Dialogistam.*

A nulla re maius periculum Imperijs aut sceptris , quàm ab innouata aut insidiosè simulata religione. *Ibidem.*

Maximo cuique imperio , maximam curam , atque adeò assiduam inesse certum est. *Ex Dissert. ad Principp.*

Dissolutio Imperij sequitur , si fructus quibus Respublica sustinetur , minuuntur ; quid si tollantur ? *Ex Comm. in Plinij Paneg.*

Fulcrum Imperiorum est , seruare Religionem & Pietatem. *In pres. ad Poliocatica.*

Causa prima & motio euertendis regnis , plerumq ; ab odio est : sed extrema &

efficax, maximè a Contempu. *Ex libro 4. Politic. cap. 12.*

Magna Imperia limites suos habent, quò cum venerunt, sistunt, retroeunt, ruunt. *Cent. 3. ad Belg. epist. 31.*

Vt illud in Principatu beatissimum est non egi: ita miserrimum non suaderi. *Ex pref. ad lib. politicor.*

Natura magnorum semper Imperiorum, proxima amplecti. *Cent. ad Ital. & Hisp. epistola. 45.*

RELIGIO.

VT Cælo sereno, & mari quieto, minor cura aut inquietio de gubernatore est, quiuis panè sufficit: at turbido hoc & illo, virum nauis quærit, veterem clavi & peritum: sic nunc dixerim, in procellis nimbisq;, quibus Religio pariter & Respub. iactatur, magni interesse, quem in curam tutelâque eius arcessi videamus, *Cent. 3. ad Belg. epistola. 55.*

Vt fratrum odia acerrima sunt: sic eorum ferè qui consortes aliquando eiusdem religionis. *Ex lib. de una relig.*

Vt olim Philistæi, Hebræis fabros omnes ferrarios atque opifices armorum ademerunt, ne bellare possent aut rebellare: sic hæretici, doctrinæ tela, quæ iugulant vana doctrinarum. *Ibidem.*

Vt nauis, ædium, aliarumque rerum carinas aut fundamenta volumus esse prima & fir-

& firmissima: sic in omni Repub. primum sit curatio rerum diuinarum. *Ibid.*

Nunquam vsquam Respublica stetit, sine specie aliqua Religionis: quanta igitur veræ illius vis est, cuius umbra sustinet hanc molem? *Ibidem.*

Religionem euertit, quisquis libertatem Religionum inducit: ex qua confusio, ex qua contemptus. *Ibid.*

Non est Regum, Religiones pro arbitrio imponere, multo minus priuatorum. *Ibid.*

Varietas Religionis, dissolutio Religionis. *Ibid.*

Religio quæ friget, non est Religio. *Ibid.*

Religio, & timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem. *Ibid.*

Proseminare malas errorum herbas, sæper impium: satis tolerare interdum, nec statim euellere, ratio aliqua defendit. *Ibid.*

Ambitio & Auaritia sæpè velatur Religionis mantello. *Ibid.*

Aculeones & Curiones detestandi, præsertim in Religione, quæ simplicissima, & fidem non rationem ducem habet. Assentiendum hic, non quarendum. *Ibid.*

Populares de Religione disputationes noxiæ. *Ibid.*

Maiorum instituta tueri, sacris cæremonijsq; retinendis, sapientis est. *Ibid.*

Libertas nimia religionis, perniciēs Religionis. *Ibid.*

Magnu Religionis in animos imperium.

Religione enim vita constat: qualiscunque ea hausta, agrè educitur, quoniam sua cuique optima videtur. *Ex lib. 1. Polit. cap. 3.*

Nulla res magis animos & mores componit, quam Religio: & illa, ubi in pectus demissa, virtutum agmen sequitur: imprimis mansuetudo quædam animi & tranquillitas, bona imperantibus, & quæ faciles, obnoxiosq; præceptis reddit. *Ex mon. ad Pol. cap. 2.*

In fidibus siquid discrepat, non a brumpis per iracundiam, sed paulatim reducis ad concentum: in Fide, cur non idem fit? *Ex lib. 4. Politicor. cap. 4.*

Quando luxus, fastus, libido maior, impunitior: & Religio nunc passim in ore, improbitas in corde. Verba pietatem sonant, facta, ambitionem, avaritiam: nec in vlllo alteroue, sed apud plerumque ordinem, ætatem, sexum. *Cent. 2. epist. 6.*

Prurigo de Religione differendi & litigandi, quæ pessimum aut vilissimum quæque tenet, causam bellis dedit & dabit. *Cent. 3. ad Belg. epist. 7.*

De religione satis multi loquuntur, paucivita expriment, & mores a professione discordant. *Ibid. epist. 49.*

Sine Religione, non Princeps officium suum, non subditi facient: sine ea, societas non erit; quia non Fides, non Iustitia, non Virtus; sed Fraus, Licentia, Proteruitas, & vno verbo, Confusio hominum ac rerum. *Ex mon. Polit. cap. 1.*

Fastus

Fastus & Impudentia omnia nunc habent, & Religio ipsa vix nisi precario regnum suum tenet. *Ex epist. ad Aub. Miram.*

Philosophiam ama, & sine vento scientiam, & sine nouitate doctrinam. Publicâ viâ qui excidit, & semitas quarit, errores & flexus quarit. *Ex epist. ad HVGONEM GROTIUM.*

Alia alibi religio est, vbiq̄ue aliqua: nec in veteri & nostro solû orbe hoc apparuit, sed in rudi illo nouo, vbi inter barbaros, ferros, homicidas, homicidones, quis angulum adhuc repperit, quem religio & numē non vindicaret? *Cent. 2. ad Belg. epist. 24.*

In rebus diuinis & Religione inuenit iam Calūnia quod exagitet, per quod nos, imò DEVM la dat. *Ex Orat. de Calumnia.*

Piè & purè, id est ritu prisco, à nobis collatur DEVS & benigni cælites. Opinionum hæc aura pestilens, quæ cælum nostrum infecit, nos non afflet. Non fallamus in his talibus, in quibus se primum fallit, quisquis alios conatur. O miser, qui aliam hic linguam habet & mētem! *Cent. ad Hisp. & Ital. epist. 18.*

RESPUBLICA.

VT in humano corpore, vitiosi humores non impetu purgātur, nisi cum periculo: ita in Repub. *Ex Comment. in C. Plinij Parægyr.*

Vt in quam domum vespillones veniunt,

fignum est funeris: sic Reipub. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.
Ex hot. ad Politica.

Vt naui, ædium, aliarumq; rerum carinas, aut fundamenta volumus esse prima & firmissima: sic in omni Reipub. primum sit, curatio rerū diuinarū. *Ex lib. contra Dialog.*

Vt in naui dirigenda, respectus habendus in Cynosurā: sic in publica administratione ad facta prioris æui. *Ex pref. ad Tacit.*

Vt qui semel nauim & mare ingressi, in arbitrio ventorum sunt, nec redeunt ad terram cum volunt, cum terram maximè spectant, retrahit aliquis æstus: sic Reipub. tenet multos inuitos. *Cent. 2. epist. 10.*

Vt mare rarò quietum est, ventos plurimum & sæpè procellas habet: sic Reipub. vbi Comitiorū potestas. *Ex mon. & exemp. lib. 2. Cap. 4.*

Consilia & iudicia de Reipub. submittere hodiernis linguis aut censionibus, non dicam parū tutū esse, sed & hominis parū tuti. *Cent. ad Ital. & Hisp. ex pref. ad lector.*

Non est opus Reipub. eo ciue, qui parere nescit. *Ex lib. 2. de mil. Rom.*

Nunquam vsquam Reipub. stetit sine specie aliqua Religionis: quanta igitur verè illius vis est, cuius vmbra sustinet hanc molem: *Ex lib. de vnareligione.*

Artes non ornamenta solū Reipub. sunt, sed etiam auxilia & fulcra. Tollantur, quid nisi squalior & tenebræ occupāt, & ferrox quædam, aut vt verius dicā, ferina vita?

Ex lib. de Cruce, in praf. ad Brabantia Ordines.

Basis & fundamentum Reipublicæ, Religio. *Ex lib. de una relig.*

Seriò cogitare debet Princeps. Religio neglecta aut prolapsa, traxit temper Rempub. secum & trahet. *Ex not. ad Polit.*

Motâ religionis anchorâ, simul turbata Reipub. nauis. *Ex lib. de una relig.*

Maior res est, quam homines suspicentur, & præstantioris cuiusdam ingenij summis de rebus sententiam pari fide & prudentiâ posse dicere; cognitâ habere omnis Reipub. partes; morem maiorum, leges, iudicia, vectigalia, commoda Reipub. confâter defendere, omnem in partem animo excubare, prospicere futura, meminisse præterita, nullo metu, nullâ spe à Reipub. utilitate & ab illa honestatis regula demoueri. *Ex praf. ad varias lectiones, ad ANTONIVM PERRENOTVM S.R.E. Card.*

R O M A.

ROMA te capit: et si quem non, qui sit ingenuâ & altâ mente? Multa ibi vetus & noua inspectio, multus splendor rerû atq; hominû: & deniq; confluxus quidâ ex omni orbe, quos vel sacræ, vel profanæ causæ (sed magis illæ) cò traxerunt. Itaq; non tam in vrbe, quam in alta quadam specula atq; arce mihi esse videtur, qui Romæ agit: vnde dispectio & inquisitio sit in omnes partes, & quod sequitur, cognitio rerû varia, cum fructu maiore nescio, an voluptate. *Cent. I. ad Belg. epist. 63.*

Non inglorium in vrbe Dominâ mori.
Cent. 2. ad Belg. epist. 49.

Roma multos beavit, & præfertim qui
sacræ vitæ. *Ibid. epist. 65.*

Roma conspecta placet, & animo vnâ
cum veneratione ingignit voluptatē. Quo-
modo non faciat? aut quis honesti ingenij,
vetera illa cogitatione recolat, & non lo-
cum & vestigia tot viris, tot virtutibus in-
fessa, miretur atque amet? Compendium
Europæ iure dicas. *Cent. 2. ad Belg. epist. 71.*

ROMA petenda, illa olim & nunc (etsi in
alia potentia) Vertex & culmen rerum. Ibi,
quicquid laudabile in orbe pænè est, vide-
re tibi fas in compendio: variarum gen-
tium legatos aut proceres, variarum item
artium candidatos aut mystas. Sed falli te
nolo, vbi magnæ virtutes, magna item vi-
tia aut crebra: Bona excerpe, alia sperne ac
vita. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 48.*

SAPIENTIA & SAPIENS.

VT ij qui in taberna aromatum aut vn-
guentorum sederunt, in vestibus ipsi
referunt secum odorem loci: sic halitus a-
liquis Sâpientiæ animo adhærescit ab in-
fessa eius officina. *Ex Constat. lib. 2. cap. 5.*

Quod fons aquæ viatoribus in astu: id
adolescētibus prudentū sermo. *Ibid. cap. 10.*

Sicut in se gete, spicarum vacuæ attol-
luntur, gravidæ & feraces inclinant: ita
quo quis sapientior, eò magis se demittit
& fasti-

& sustinet. *Ex Dissunct. not. Mirand. cod.*

Vt corpore tenues, veste se dilatant: sic qui ingenij aut Sapientiae inopes diffundunt se verbis. *Ex instit. apostol.*

Sicut nube ingruente sub tectum confugimus: sic in calamitate ad Sapientiae arceem, quam Fortuna nullis machinis evertit. *Ex Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 2.*

Vt herbas & arbores crescere non cernimus sed creuisse: sic factam Prudentiam potius quam fieri. *Cent. 1. epist. 22.*

Vt in bello, etiam si hostis absit, semper excubiæ: ita vigilat sapiens contra improvisum omnem iectum. *Ibid.*

Vt nauæ vela sinuant & obliquant, & tenent nihilominus suum portum: sic Sapientiae pars est, leuiter desipere, & paulû extra viam rectam ire, ad vitandum violentû aliquem occursum. *Cent. 2. epist. 6.*

Vt nauis quæ inter fluctus sine clauo iactatur: sic mens, quæ in hac vita sine Sapientiae gubernaculo. *Ibid. epist. 8.*

Alphæus mare Siculum subterlabi dicitur, sine mixtione Vndarum ad suam Arctusam: sic studiosus per leuitates, per vanitates, ad amatam illam Diuam Sapientiam. *Ibid.*

Vt animam, nisi anima non capit: sic sapientem, nisi sapiens. *Ibid. epist. 60.*

Sicut stellæ in tenebris etiam fulgent: sic liquidus & libens viti sapientis animus, etiam in ista temporum caligine aut nu-

bc. Centur. miscell. epistola 59.

Vt in familia opus est herâ, quæ coërceat: sic in hac interiore œconomia, Sapientiæ illo imperio, quod affectus regat ac dirigat exultantes. *Ibid. epist. 71.*

Sicut miles pugnae per lusoria certamina se præparat: sic nos Sapientiæ, per artes liberales debemus. *Ex Manud. lib. 1. Diss. 2.*

Vt personæ histrionum, et si pulchræ, vsum non habent, nisi faciei applices: sic Litteræ per se inanes, Sapientiæ admouendæ sunt. Nam solitariæ illæ, quid nisi leuam oblectatiunculam, aut otij deceptionem habent? *Ibidem.*

Vt Vlyssi illi naufrago Leucothea vittam sub pectore ponendam dedit, quâ tutus à turbine & tempestate esset: sic nos hac Sapientiæ nos præcingamus, & audiemus

---- *nil vereare pati, nec morte perire.*

Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 94.

Quemadmodum antiæ humorem non continent, vasi tamen necessaria sunt ad vsum: sic de Litteris, Sapientiam non habent, sed conferunt ad habendam. *Ex Manud. lib. 1. Dissert. 1.*

Mitemur reconditam Sapientiæ vim, non rimemur. *Ibid. cap. 7.*

Omnis Sapientia procul intuentibus seuerâ & tetrica apparet, cum propius successeris, lenis, clemens reperitur, & quâ non mitior aut amior ipsa Amor in Dea. *Ex Wons. lib. 1. cap. 12.*

Infelix semper erro, qui à Sapientiæ me-
ta aberrat. *Cent. 3. epist. 8.*

Insipiens est omnis Sapiencia, cui non
adest modus. *Ibid. epist. 56.*

Hæc summa, vel vna potiùs Sapiencia,
Deo & fati obsequi; & infixum habere a-
nimo, ab illis dirigi, atq; etiam perfici, mo-
lissima omnia nostra. *Cent. 3. ad Belg. epist. 51.*

Non vt puluis aut palea ab omni vento,
sic nos rapi à perturbatione debemus: sed
hanc coërcere, & animum pondere illo ra-
tionis & Sapientiæ stabilire. *Cent. miscell.
epist. 93.*

Vera animi quies, à Deo primùm, dein-
de à Sapiencia & literis est. *Ex lib. 1. epistola.
quæst.*

Quidam eo ingenio, siue vitio oculorum
sunt, vt de die excutiant, in tenebris cer-
nant: sic multi ad minuta & tenebrosa ocu-
los pandunt; contra claudunt ad Sapiencie
lucem. *Ex dialogo de recta pronunt.*

Quamdiu animus præceptis Sapienciæ
nondum imbutus est, quid nisi simillimi
pueris sumus, quibus (teste *SENECA*) omne
ludicrùm in pretio est? *Ex Manud. lib. 2. Diss. 1.*

Doctrinam para, quæ non in pompam
tibi solùm sit, sed in vsum. Ad Sapienciam
conuertere, quæ mores tibi corrigat, quæ
animum turbidum sordidumq; tranquil-
let & illustret. *Ex Const. lib. 2. cap. 4.*

Non frangitur sapiens doloribus corpo-
ris, nec vexatur incòmodis. *Ibid. lib. 3. Diss. 6.*

Ecce in vera Sapientia diuitiæ, & in animo ad Deum, summum atque vnum bonum, verso. *Ibid. Diff. 11.*

Hoc est verè Philosophum, imò sapientem esse: exerere & ostendere in sole atque opere, quæ alijs in umbra & otio differuntur. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 45.*

Quicquid habent ortus, finem timet: ibimus omnes

Ibimus: immensis urnam quatit Æacus umbris.

O caput ô finem Sapientiæ hæc meditari! morrem habere in animo, in oculis: & quæ ad felicitatem post ipsam ducant, præparare. *Cent. 2. ad Belg. epist. 55.*

Sapere pulchrum, sed sibi sapere. *Cent. 1. epist. 65.*

Hodie vix sapientia in pretio, nisi quæ pompam & colorem habet; imò etiam, quæ duritiam aut impudentiam habet. *Cent. 2. ad Belg. epist. 15.*

Cani capilli non adferunt Prudentiam. *Ex lib. de vna relig.*

SCELVS vide VITIVM.

SCIENTIA.

VT Athenienses, teste Anacharse, nummis utebantur duntaxat ad numerandum: sic flagitijs & sceleribus cooperti, scientia, ad sciendum. *Ex Constant. lib. 2. c. 4.*

Vt in naui vela, & arma omnia
oculis

oculis se munusq; solum ingerunt, delitescit in puppi gubernator ille clauus : sic in Scientiarum isto corpore censendum, in quo speciosæ aliæ, aliæ occultæ, sed efficaces. *Ex Dial. de rect. pronunt.*

Quò longius progredimur in scientiæ veræ via, tenebras & circumfusam caliginem magis cognoscimus ingenio humano. *Cent. 1. epist. 77.*

Inutilis, imò noxia scientia omnis prudentiaque est, secreta à probitate morum: illa ad ornatum adhibenda, hæc ad salutem. *Cent. 1. epist. 22.*

S C R I P T O R E S

E T

S C R I P T A V E T E R V M

VT Phrygiones, è variij coloris filorum aliquod aulæum formant: sic Scriptores, è mille aliquot paraculas coherens opus. *Ex præf. ad Lectorem in Polit.*

Vt in vno aliquo telo, aut gladio multum interest, à qua manu veniat: sic in sententia, vt penetret, valdè facit alicuius & receptæ auctoritatis pondus. *Ibid.*

Vt apis, iniecto & relicto aculeo fugit: ita nonnulli scriptores, cum nodos aliquot benè nexuerunt, pendulum & iudicij incertum relinquunt lectorem. *Ex lib. de Pronunt.*

Vt Imperatori, in acie certus aliquis ordo est, nec tamen vnus: sic in omni materie, quam pro re, pro iudicio disponunt scriptores. *Ex Instit. epist.*

Vt in sagitta mittenda non minùs aberrat qui circa scopum, quam qui vltra iaculatur: sic in scribèdo quisquis pauciora quàm pro re, aut plura dicit. *Ibid.*

Vt pictor, cum tabulam accepit, primum hominè totum delineat, colores mox aptos querit, & addit cuique parti: sic bonorù auctorum imitator, corpus eloquentiæ sue formet, pigmenta deinde varia conquirat. *Ibidem.*

Vt in membris nostris, sæpè aliquid ruptum aut conuulsum est, quod tamen ita artificiosè celamus, vt nisi à confectis difficile sit vitium animaduerti: ita in veterum nonaunquam scriptis, occulta quedam vitia & deprauationes insunt, quæ sine Grammaticorum aut librorum veterum iudicio, nostrâ sponte difficulter possimus deprehendere. *Ex varijs Lect. lib. 3. cap. 6.*

Vt vina apposita, vinosum mouent; inuiniu(m) (vt antiqui loquebantur) non mouent: sic nuda alicubi veterum scriptorum nequitia, lectoris animû iam antè improbum, fortasse incitet; casto & castigato non adhæret. *Ex epistola. quest. lib. 3. cap. 2.*

Vt parentes leuiùs ferunt, nò natos sibi liberos, quam polleâ denatos: sic nobis fortasse

fortasse, si scripta veterum nescissemus, dolor non erat: idem, cum fragmenta intuemur, & titulos pulcherrimorum operum, angimur desiderio, & torquemur. *Ibid. li. 4. c. 14.*

Vt veterani venatores, ceruum ex impresso vestigio dignouerunt: ita docti, ex inscriptione virum. *Cent. 1. epist. 45.*

Vt in via, si quis improvidè præteriens, hito nos aspergat, non nos in illum regeramus, sed potius nos purgemus: ita cum illis agendum, qui stylum in nos stringunt, aut conuitijs laceflunt. *Ex lib. de vna relig.*

Vt in segete flores quidam internascuntur suâ sponte: sic in scriptis alieni generis nota. *Ad Annal. & Taciti.*

Vt è fonte quod haurimus, nostrum est, quisque tamen suo vase: sic quod è communibus scriptoribus, sed quisque pro iudicij sui modo. *Ex lib. de Cruce.*

Si quis agrum nostrum stantem sentibus deruncinet, beneficium conferre censebitur: non conferent ijs, qui a vitij monumenta nostra purgant, quibus solis viuimus. *Ex Sat. Menip.*

Vt aranearum textus, ideo melior non est, quia ex se fila gignunt: sic nec doctorum labor vilior, quia ex alienis libant ut apes. *Ex notis ad Politian.*

Vt in Vere anni flores gignuntur, Autumnus tamen est, qui dat fructus: sic literati in florida ætate, amantiora dant, in senili vtiliora. *Ex lib. de Cruce.*

Sicut in publicam popularemque viam, omnes semitæ conueniunt: sic scribentium stipes, in commune generis humani ætariū inferuntur. *Cent. ad Ital. & Hisp. epistola 16.*

Vt piratæ in mari, onustæ nauis infidiantur, vacuum negligunt: idem accidit solide doctis. *Ibid. epist. 26.*

Sicut eminus stannum, argentum, plumbum, conspicienti eadem videantur, ad motus discernat: sic verendum ut in multorum scriptorum dotibus & scriptis, & longinquitas pretium ijs addat. *Ibid. epistola 92.*

Vt qui gemmas vel aurum quærunt, non summam terræ cutem leuiter stringunt, sed in viscera eius penetrant & immergunt: sic qui veram, mansuramq; doctrinam, altius necessum est in scriptorum loca, & sensa sese immittant. *Cent. 1. ad Belg. epist. 49.*

Quemadmodum stellæ non sibi, sed huic orbi lucent: sic ad alios ingenij nostri lux perueniat. *Ibid. epist. 56.*

Vt pueri, pedes per delicias malè ponunt, & imitari vatiæ discunt: sic quidam, eum rectè scribere possent, malunt prauo elegantia studio flectere orationem & enervare. *Cent. 2. epist. 61.*

Apelles, in magnis suis laudatisque operibus, hoc seruabat, ut ea publicè proponeret omnium oculis ac linguis, atque ipse velo aliquo reclusus, iudicia renaretur etiam

minimorum : cur Scriptori hoc non fas, in opere quod tangit omnes. *Cent. eadem, epistola 92.*

Ut Luna, quod luminis à Sole accepit, infero huic mundo refundit : sic libenter scriptores dona, quæ à magno illo, Deo. *Cent. 1. epistola 88.*

Candor si abest à scriptis, nebulæ & liuor habent, nec illustrabit ea diuturnior lux famæ. *Cent. ad Germ. ad Gallos, epist. 49.*

Homines inquieti & turbidi, non iudicio scribunt, sed morbo. *Ex lib. de vna religione.*

Contentiosa, aut curiosa scriptio, factionum sæpe causa & fomentum. *Ibid.*

Supremo illi iudici non scripta nostra approbanda, sed facta: *Cent. frag. ad Germ. & Gall. epist. 7.*

Hodie ita inualuit, ut quicquid ignotum, nec tritum auribus imperitorum, obsoletum censeatur, quanquam ab optimis auctoribus petitur, & ab optimo illo æuo. *Ex institut. epistol.*

S E N E C A.

VT felices arbores, quarum præcipua dos est, fructum ferre; flores & folia tamen habent: sic iste (S E N E C A) quem fructus causa legimus & colimus, oblectationem adfert pariter, & Venerem cum Minerva iungit. *Ex lib. 1. Manud. Diss. 18.*

SENECA laudandus ab omnibus, quibus cura aut cordi est ipsa virtus. Christianos scriptores excipe, quis omnium veterum magis ad eam duxit? Magnus vir est, nec suadet, sed ingerit optima, & impellit ad ea, non ducit. Quis ubiq; ardor, & quam è pectore verba? & miror, aut indignor etiam, si aliter vixit. *Cent. 1. ad Belgas. epist. 16.*

Semper ille mihi magnus vir apparuit: sed vt solèt verè magna, magis magisq; inspectus & tractatus se approbat, & credo post Sacras litteras nihil in vlllo orbe, in vlla lingua, scriptum vtilius meliusque. *Cent. 1. ad Belg. epist. 42.*

SENECAM amare te ita suadeam, vt ipsam Sapientiam: quia reuera ille

---iudice me pulcherrimus auctor

Natura verique.

Acer in scriptis; & verba ex animo, non à summis labris profundit; stimuli & subitè ietus sententiarum; quibus qui non excite- tur, non inter frigidos, sed mortuos, à me habeatur. Enimverò alta illa & Prouidenciam, item vitiorum odium, & rerum exter- narum contemptum, nemo magis infuderit: nemo, inquam, ex omni gente aut æuo, cuius scripta quidem existent. *Cent. 2. ad Belg. epist. 82.*

Deus mihi nunquam benè aut votiue faciat, nisi cum illa creta, incitata, ætherea lego, cadit mihi stilus & manus, & nugas censeo totum hoc quod molimur. Ah, qui sen-

sensus illi, & quæ dictio etiam est? quantum animi habet, quantum inserit? quantum etiam calor? me quidem incitatum semper dimittit, & plenum ingentis fiducia. Videor mihi ille esse, aut certè futurus, qui

*Celsior exsurgit pluuijs, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & caca tonitrua
calcat.*

SENECTVS.

VT agricola parum aut nihil dolet in arbore amissa, quæ ex vno trunco plures frutices & iam pænè arbores dedit: ita senex, qui familiam post se florentem, liberos, nepotes, pronepotes reliquit, minùs dolendus fuerit: cum in tot animis corporibusque suorum viuat. *Cent. miscel. epist. 93.*

Sicut athletæ, cum meram vident & accedunt, et si fessi, appropierant: sic nos in senectutis hoc limite, alacriùs promptiùsque laboremus, quia laborum mox expertes. *Ex lib. 1. cap. 1. mon. & exempl.*

Non annorum canicies est laudanda, sed morum. *Ex lib. de vna relig.*

Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. *Ibid.*

S E R M O.

VT vites, arboreseque translatae degenerant: sic & sermo. *Ex dialogo de recta pronunt.*

Vt in angusto canali aut tubo, vbi aqua aquam trudit, fistitur, nec inuenit egressum: ita multi multa simul dicere volunt & debent, dicunt pauca. *Cent. ad Germ. & Gallos, epist. 13.*

Vt aqua in fonte suo, aliter in riuis sapiunt: sic sermo, non vndiq; in dolem suam feruat. *Ibidem.*

Vt vela pro magnitudine nauium: sic verba debent esse pro rerum. *In instit. epistol. cap. 7.*

Vt corpore tenues, veste se dilatant: sic qui ingenij aut sapientia inopes, diffundunt se verbis, *Ibid.*

Vt calx aqua accenditur: sic maligni effertantur temperanti sermone. *Ex lib. de una religione.*

Quod fons aqua viatoribus in aestu: id adolescentibus prudentium sermo. *Ex Const. lib. 2. cap. 15.*

Vt moneta illa optima, qua pretij plurimum habet in parua mole: sic sermo qui sensus. *Ex lib. Polit. ad not. lib. 2. c. 15.*

Sicut facem frustra ad accendendum admoueas, nisi accensam: sic sermonem ad excitandum, nisi vegetum & calentem. *Ex Manud. Dissert. 18. lib. 1.*

Malim dixisse aliquid temere aut scripsisse, quam fecisse. Ibi pudor, duntaxat; hic poenitentia sit adiuncta. *Cent. misc. epist. 45.*

Non verba, sed pectus & vis mentis est, qua disertus facit. *Ibid. epist. 100.*

Breues sermones non solum apud DEVM sapè, sed apud Principes sèper grati decorique sunt. *Ex Diss. ad Alber. & Ijabel. Princip.*

Interno iudice si probus audias, nil ad-
dent aut dement tibi malorum sermones.
Cent. 1. epist. 87.

Non qui sermone sapit, is mihi sapit, nec
qui linguam disertam & volubilem habet,
mentem autem inconstantem & indoctam:
sed magis, qui pauca de Virtute disserit,
multa autem factis ostendit, & fidem ver-
bis suis ipsa vita conciliat. *Ex lib. 2. Manud.
Dissert. 23. E Græco textu Gregori Theologi ex-
pressum.*

Quid visurus sum, nescio: sed verbosos
valdè & vnà sapientes, nondum ego vidi.
Ex not. ad Politicæ.

Mens hominis copiosa & exuberans sit,
sermo temperet & adstringat. *Ex Manudu.
Dissert. 15.*

Aures muni contra omnes, non Vene-
reos solùm, sed paulò magis venustos ser-
mones; ij sunt qui titillant, qui excitant: &
vt cupere ab aspectu est, sic velle ab auditu.
Cent. 1. epist. 24.

STVDIVM vide LABOR.

SVPERBIA & GLORIA.

VT culeus, qui vento inflatus ægrè
mergitur; supereminet autem & exilit
suâ sponte: sic tumidi & peruicaces, facilli-
mè attolluntur. *Ex Const. lib. 1. cap. 4.*

Sicut

Sicut pluuia leuis & modica, faciliùs in terram penetrat & humectat: sic laudes in animos, & adhærent. *Cent. 3. ad Belg. epist. 61.*

Ignauia & cum ea Superbia, duæ pestes iuuentutis. Fugite, vel potius fugate. *Cent. 1. ad Belgas, epist. 50.*

Cupidinem veræ virtutis & gloriæ ingenerat visâ læpius aliena gloria & virtus. *Cent. 1. epist. 22.*

Fastus & Impudentia omnia nunc habent, & Religio ipsa vix, nisi precariò regnum suum tenet. *Ex epi. ad Aubert. Miran.*

Gloria industriâ alitur: vbi eam dempierrez, ipsa per se Virtus amara atq; aspera est. *Ex Comment. ad Plinij Panegy.*

TEMPERANTIA vide CASTITAS.
TEMPVS.

VT in flumine, vnda vndam trudit, nec vnquã reuocat elapsam: sic in tempore, dies diẽ, nec reparas amissã. *Cent. 1. epi. 55.*

Vtilissimum in vita est tempus. *Cent. 3. ad Belg. epist. 49.*

Honestè cedit qui tempori cedit. *Contra Dialogistam.*

Præsens tempus breuissimum est, adeò vt quibusdam nullam videatur. In cursu enim semper est, fluit & precipitatur: antè definit esse, quã venit. *Ex lib. 2. Physi. Dis. 24*

Fluit assiduè tempus, & nobis effluit: quod vnum auariter habere debeamus, & nulla merce aut pretio permutare. *Ibid.*

Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus. *Ibid.*

Tempore vtendum: labitur enim & fluit, nec fas lapsum vnquam reuocare. *Ibid. lib. 3. Dissert. 1.*

THEOLOGIA.

VT elephantes, etsi amibus impensè delectantur, haud temerè tamen eos ingre liuntur, cùm insciji sint natandi: idem in Theologia, pijs salubribus eius aquis animus tingendus, nō mergendus. *Cen. 1. ep. 59*

Vt corporum quidam morbi certis temporibus interueniunt: sic nunc iste animorum: mysterium THEOLOGIA erat, facta est populare oblectamentum. *Ex lib. aduers. Dialogistam.*

Theologia sine pietate & puritate nulla est. *Ibid. epist. 73.*

TYPOGRAPHVS & CORRECTOR.

VT senex ille in Synephebis,
Serit arbores qua alteri prosint saculo:

Sic bonus Typographus, libros diuulgat, quorum fructus non in sinum suum, sed ad Rempub. redundant. *Ex lib. 1. Epist. quest.*

Si quis agrum nostrum stantem, sentibus deruncinet, beneficium conferre censebitur: non conferent ij, qui a vitijs monumenta nostra purgant, quibus solis viuimus? *Ex Satyra Menip.*

Magna-

Magnarum arborum umbræ, nos & altitudo delectant, radices stirpesque non item: simile in Correctoribus est, quorum operâ, hæc incorrupta artium pulchritudo manet, quas miramur. *Ibid.*

Typographia, quæ instaurandis litteris fuit, ea ipsa perdendis profligandisque erit, si ita perrexerit imperitum quicquid aut ineptum diuulgare. *Ex lib. 5. de milit. Romana, Dial. 3.*

TRANQVILLITAS.

VT miles si cecidit surgit alacrior, & animos irasque sumit a casu: idem nobis fit, & constanter pergamus ad illû Tranquillitatis internæ portum, qui verè efficit beatos. *Cent. 1. epist. 19.*

In tranquillitate animi si exigere vitæ hoc spatium licet, cælestia meditari, humana intelligere & spernere: beati erimus, nec Regibus inuidemus, aut omnibus purpuratis. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 45.*

Quàm compositæ mentis signum est, secum posse morari, & cōsistere? quod è vulgo nemo facit, quorum quisque se fugit. *Ex lib. 3. Manud. Dissert. 10.*

TRISTIA.

Insitum hoc à natura humano ingenio, ad tristia acriter flectere oculos, præterire quæ læta, *Const. lib. 2. cap. 20.*

VANITAS.

Sicut pueri trochos, pilas, pupas, & leuia rerum admirantur, securi vtilium: sic plerique è nostris ad vana diuertunt, honesta non negligentes solùm, sed illudentes. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 5.*

Sicut Solem istum assiduè vel nubes aliqua subducit, vel nox condit: talis omnis hic splendor & felicitas, rapitur aut euanescit. *In p̄fat. ad lib. de Magnit. Romana.*

O miser! quid nos, doctrina, fama sumus? ipse puluis, illa opinio, ista ventus? *Ex allocutione ad notas de Cruce.*

Res ipsas quæramus: umbras, pompas, breues stricturas, recto oculo videamus, noscamus, spernamus. *Cent. miscell. epist. 47.*

O litteræ, litteræ! quam semper à vobis aliqua vanitas! & quam illud hic verum, *Oportere omnibus corydalis cristam inesse.* *Cent. 1. ad Belg. epist. 10.*

VERECUNDIA vide PVDOR.

VERITAS.

VT laua, priusquam vltimum illum & optimum colorem combibat, succis quibusdam alijs præparanda & imbuenda est: sic animus Veritatis purpurâ seriò est tingendus. *Ex Const. lib. 1. cap. 5.*

Vt eadem purpura homines delectat, & ad gaudium prouocat, tauros offendit & irritat ad pugnam: sic eadem veritas aut

virtus, intelligentes capit, lædit improbos & imperitos. *Cent. 1. epist. 88.*

Vt obstetrix, parturientem iuuat mouēdo, monendoq;: sic interrogando, dubitando, elicitur veritas. *Ex Dial. de reſta pronunt.*

Veritas odio omni & inuidiâ debet eſſe antiquior. *Ex lib. 1. var. lect. cap. 5.*

Bonū eſta veritate vinci. *Ex li. de vna relig.*

Satis triumphat veritas, ſi apud paucos bonosque accepta: nec in dolis eius eſt, placere multis. *Ex lib. 1. Manud. Diſſert. 15.*

Veritas eſt pura candidaque, & immunis ab omni affectu. *Cent. 2. epist. 97.*

Quietem magis, quam vindictam procuremus; & veritatem magis, quam victoriam quæramus. *Ex diſſunct. Mirand. cod.*

VIRTUS & PRUDENTIA.

Vſi Architectis, op^o nullū rectè proceſſerit, ſine libella & linea: nō itē nobis, ſine norma hac directrice. Sine Prudētia enim, quæ poteſt eſſe Virtus? *Ex Polit. li. 1. c. 7.*

Vinum, vinum eſſe non deſinit, ſi aquâ leuiter temperatum: nec Prudentia, Prudētia, ſi guttula in ea fraudis. Semper intelligo vt modicè, & ad bonum finem. *Ibidem lib. 4. cap. 13.*

Vt aromata, longè lateque odorem emittunt, ſi teras: ſic Virtutis fama diffunditur, ſi premas. *Ex Conſtant. lib. 2. cap. 8.*

Vt venena vinis admixta, medicorum ſcīto perniciousè & pernicioſè penetrant: ſic peccata

peccata adfita Virtuti. *Cent. 1. epist. 21.*

Vt vinum vigorem & florem seruat, sed clausum, apertum exhalat: sic Virtus apud secretum manet, vanescet si vulgaris. *Cent. 4. Miscell. epist. 74.*

Qualis Poëtarum ille Cyclops, amisso oculo: talis Princeps, cui abest lumen (Prudentia) hoc frontis, *Ex lib. 3. cap. 3.*

Sine Pietate & Virtute nemo verè honestus vnquam erit. *Cent. 2. epist. 69.*

Latent plerumque verè probi: & in pectore intimo domicilium Virtus habet, non in vultu aut fronte. *Cent. 2. epist. 12.*

Vt qui ignem a vicino petit, non illic hæret, sed ablato eo, domi focum suum accendit: sic capiendi a Doctrina igniculi illi Prudentiæ, & ad vsum, actionemque civilem transferendi sunt. *Ex notis ad Polit.*

Habet hoc omninò præstans & excellens Virtus, vt nescio quomodo facilè aut inuidos inueniat aut inimicos, quos qui prorepublic. cõtemnere aut negligere potest, is verè vir, & patriæ amans ciuis iudicandus est. *Ex præfat. ad variar. lect. lib.*

Virtus ipsa sibi satis magnum præmiũ est: nec ornamenta vlla aliunde desiderat. *Ibid.*

Igniculos, scintillas, semina, impetus ad Virtutem habemus: vt ipsam habeamus, excitanda illa velut flatu Rationis & Disciplinæ. *Ex Manud. lib. 2, Dissert. 10.*

Sola Virtus præstat gaudium perpetuum, securum. *Ibid. lib. 3. Diss. 5.*

Rara est coniunctio Virtutis & Fortunę, præsertim in modesto & sapiente: & bonę mentis, vt ille inquit, soror est paupertas. *Ex Admirand. lib. 2. cap. 15.*

Prudentiæ ad omnes res humanas vsus: sed ad Imperium maximè, quod sine ea non solum infirmum sit, sed ausim dicere nullū. *Ex lib. 3. Polit. cap. 1.*

A Virtute & Modestia non abeundum. *Cent. 1. ad Belg. epist. 74.*

Alia nobiscum labuntur & pereunt: Virtus, eruditio, & ex ijs fama perseuerant, & si non æterna tamen diuturna sunt. Ingenuus animus ad hæc eat, per hæc ad summa & sola illa bona. *Cent. 3. ad Belg. epist. 70.*

Blenni aliquot & buccones, ad culmina honorum veniunt: meliora & altiora ingenia arcentur. Ita æuum est, paucos nuda virtus aut doctrina euexit. *Cent. ad Germ. & Gall. epist. 51.*

VIRGINITAS.

BEata Virginitas, quæ cum angelis de gloria certat: certat? imò superat, virtute, nō felicitate. quia illorum tota a Dei munere est. istarū ab electione; sine pugna aut labore, illa; ista, à certamine parata; & quæ laudem habere, illa admirationem tantum potest. *Ex præf. in Syntag. de Vesta & Vestalib.*

O flos nunc in terrā religionis, lucida & dera olim in cælo: quam vndique vana
& pro-

& profana illa superamus, veritate aut frequentia? *Ibidem.*

VITA MORTALIS.

Milles in castris, audito viæ signo, vasa colligit, audito pugnae deponit, animo, oculis, auribus paratus ad omne imperium & intentus: idem nobis fit, & in hac militia sequamur alacres & pleno gradu, quocumq; vocantem Imperatorem. *Ex lib. 1. de Const. cap. 14.*

Vita est velut auicula, quæ pueri manu tenetur, & sæpe in primordijs euolat. *Cent. 1. ad Belg. epist. 4.*

Vita hæc, vt rosarium est, flores spinis suis intermixti: sed illi carpenti, hæc vitanda aut seponenda, quantum homini datur. Ratio & Sapientia est, quâ in hæc armentur: cuius caput, scite conditionem & legem quæ venientibus in hæc vitam est dicta. Quæ? similis ipsi aëri, quem ducimus: & in quo versamur: vt modò sudum, modo vdū sit, tempestas, serenitas, & gaudijs præviæ aut sequaces curæ. *Cent. 3. epist. 45.*

Nihil hic diuturnum. In fabulis prodeunt reges, satrapæ, alia officia, & quidam satellites, ac personæ in speciem, & mutæ. Ecce alij diutius exijs hærent in scena, & loquuntur: alij ostendunt se tantum, & nec vocem edunt: simile nobis est, vario munere aut dignitate in theatrum hoc Vniuersi mittimur; alij silentio transimus, aut

ostendimur tantum. Nihilò tamen deterior ille, qui in vili veste, qui non diu hæsit, quàm ille qui regem, aut longum carmen egit. Apud Deum vita longa non optima, sed innocentissima. *Cent. miscellanæ, epistola. 29.*

Vt athletis olim fors non electio adversarium dabat, cum quo certarent: sic cuiq; nostrum vitæ suæ conditionem fata, cum qua luctemur. Hanc vincere oportet, id est ferre. Huius enim pugnae robur omne in patiendo est, & victoria in cedendo. *Cent. 1. epistola. 43.*

Syrtes in terra Africa esse dicuntur, in quibus homines obruantur æstu reciprocantium arenarum: illæ in curriculo vitæ nostræ sunt. *Ex Dial. de reâta pronunt.*

Vita est quasi tunicula, vt illam si me stringit & molesta est, abijcio: aut si etiam indecora est, exuo: tale in hac animi veste. *Ex lib. 3. Dissert. 23.*

Vt in tenebris ambulare & currere qui amat, impingit & ruit: sic in te, nisi præfers & præpandis lumen hoc mentis. Ea te docebit, vt folia rosas, sic vigorẽ & vitam nos relinquere: atque ad eò non hominem, sed nec elementa & mundum esse æterna. *Ex Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 50.*

Quò propiùs & diutiùs res humanas intueor, magis aspernari & fugere eas libet, & toto alio orbe disiungi. Heu vanitates, heu malitias, heu ineptias etiã, quas video! & ipsum

& ipsum istud legere, scribere, discere, quid nisi oculos magis aperit ad videndum & noscendum? Qui cum ludo aut mimo cōparavit totū hoc nostrum vivere, is mihi rem visus intellegere. *Cent. 1. ad Belg. epist. 24.*

In theatro hoc magno sedemus, spectatores aut actores; eximus alij, inimus alij: nec mirari aut indignari debemus in communi & recepta ab æternitate lege. *Cent. ad Ital. & Hisp. epist. 60.*

O beatum vitæ statum, qui hîc interna gaudia præstat, & postea spondet æterna! At nos iactamur, & publicè ac priuatim circumstrepunt turbæ. Has minuere & lenire consilio licet: in illis, quid nisi tolerare saperest? *Cent. 2. ad Belg. epist. 72.*

Vitam hanc magnifacere, Christiani nō est, quem manet vita illa melior: sed nec abijcere, & remedia spernere, quæ data huius fini. *Ex lib. 3. Manud. Dissert. 10.*

Quicquid Deus ille noster dat, excipe libenti, imò & hilari fronte; vivere te vult? velis. Mori? non nolis. Finis & initiū nostrū ab illo sunt: felices, si in illo. *Cent. 2. epist. 17.*

Quamdiu æquor hoc vitæ nauigamus, tamdiu fluctus: & interdum serenum aliquod si blanditur, decipit, & ferè tempestas maior succedit. *Cent. 1. ad Belg. epist. 78.*

Quid hæc vita, quam eripi lugemus? ludibriorum scæna, miseriarum mare: Per quod ut maximè ex voto tibi feratur nauis; tamen in multos scopulos impin-

gas; multis vadis obhærescas necessum est.
Cent. 1. epist. 61.

Quo longius in hac vitæ via progredimur, magis magisque aspicimus circumfusam animo caliginem, corpori imbecillitatem. *Ex libro de Cruce.*

Misera & ambitiosa vita, quæ finem tantum habet scire aut sciri! Multi celebres improbi fuere, & quorum gloriam nihil emulamur. Sit nobis hic bene vivere, cum Modestia & Prudentia, æquor hoc transire, sæpè tumidum & vndosum: sit ab ista tranquillitate, ad posteram & æternam beatitudinem venire. *Ex Cent. 2. ad Belg. epist. 33.*

O curas, ô occupationes hominum! interea vita labitur, & isti miseri nunquam aut rarò, quid sit verè vivere, nisi cum desinant, vident. *Cent. 11. ad Belg. epist. 36.*

Totum hoc vivere spinas & aculeos suos habere scito: sed ijs maximè, qui velut vltro ingerunt se & opponunt. *Ibid. epist. 85.*

Quid est hæc vita? nihil, nisi ad illam aditus & præparatio, illam æternam, beatam, & cui vni vita hæc viuit. *Cent. miscel. epist. 86.*

Dies iste, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalis est. *Ex lib. 3. Manud. Dissert. 11.*

Amor vitæ è nobis pellendus; & vt possit, sæpè cogitandum, quod semel faciendum est. *Ex lib. 2. Diss. 1. Physiol. Stoic.*

Vitæ longum iter (ita esto) tibi restat: sed semper incertum, turbidum, nisi semel decreta

decreta tua ad æternum illud decretum ligas & aptas. Quod vult, velimus; quò ducit, eamus: & nisi facimus, trahendi nihilominus aut impellendi. *Cent. 3. epist. 51.*

O ludum, ò theatrum, quidquid hoc vivere vocamus! & fateor tædere me spectaculi, nec inuitum auditurum signum, quo cæcus hic abeat & dissoluatur. *Cent. ad Ger. & Gall. epist. 23.*

Fatui ita plerique & terreni sensus sumus, vt vivere tantum vt viuamus iuuet, & quia innatus aliquis metus est a solutione & morte. Tolle hunc, vitæ suauitatem intuleris. *Cent. miscell. epist. 20.*

Qui periti cælestium sunt, in Solis aut Lunæ deliquio non stupent aut timent: sciunt enim mox redditam vtriq; sideri suam claritatem: simile nobis Christianis sit, qui gnari diuinarum promissionum; nõ mortem hanc habemus, sed transitum ad vitam. Pro breui ista, turbida, & impacata, æterna nos manet, curarum turbarumque expers. *Ibid. epist. 93.*

VITIVM & IMPIETAS.

VT sagitta, ad emittentis scopum peruenit sine vilo motu: sic impij. Frenat videlicet, coerctque humanam omnem vim suprema illa vis: & exerrantes eorum gressus, dirigit ad salutarem metam. *Ex lib. 2. de Const. cap. 7.*

Vt cruciarij, Romano ritu, crucem suam

ferebant, ipsi ab ea mox ferendi: sic impijs omnibus consciētiae crucē DEVS imposuit, in qua pœnas luant, priusquā luant. *Ibi. c. 14.*

Vt mors bonis clementer immissa ante scelus: sic desperatè malis, in scelere. *Ibi. c. 10.*

Vt magis in morbo iudicātur, qui tabe aut marcere laborāt, quā qui inflammatione aliquā aut feбри, & tamen hæ magis apparent: sic in grauiore pœna, improbi, qui lento illo passu ducuntur ad æternam mortē. *Ibi. c. 14.*

Vt beneficia, quæ ob virtutem à principe maioribus data transeunt ad nepotes: sic in mulctis aut pœnis, quæ ijsdem impositæ ob scelus. *Ibidem cap. 16.*

Vt trutina in eam partem vergit, in qua plus ponderis: sic perfidi in eam, vbi plus æris. *Cent. 1. epist. 44.*

Ceteræ animantes, vbi semel offenderint, cauent; non vulpes ad laqueum, lupus ad foueam, canis ad fustem temerè redibunt: solus homo ab æuo in æuum peccat ferè in ijsdem. *Ex lib. 5. de milit. Romana, Dial. 20.*

Fatali sceleri, fatales sunt pœnæ. *Ex lib. de vna religione.*

Hic iam est cursus rerum, & lex quædam (nisi fallor) mundi, vt honesti honestaq; iaceant, & exurgat quicquid turbidum est aut prauum. *Cent. singul. ad Ital. & Hisp. epist. 17.*

V O L V N T A S .

VT in exercitu variij adfectus militum sunt, & hunc præda incitat, hunc gloria

ria, illum odium, omnes tamen pro victoria & Principe pugnant: sic omnes omnium voluntates bonæ malæque DEO militans, & inter varios fines veniunt tamen ad hunc finium finem. *Ex Constantia, libro 2. cap. 7.*

VOLVPTAS & DELECTATIO.

QVemadmodum iuuat, si lucem paulisper videas, in arctiorem mox carcerem compingendus: ita externæ voluptates, specie iuuandi magis lædunt. *Ex lib. 1. cap. 3. de Constant.*

Vt medicamenta minus valida, non extrahunt humorem noxium, sed mouent: sic vana delectatio irritat in nobis fluctum cupidinum & adauget. *Ibid. cap. 3.*


Sicut Paris ille apud Homerum, è prælio profugus, cum Helena se oblectat: sic plerique relictis studiorum serijs, voluptaria modò sectantur. *Ex lib. 1. Manud. Diss. 1.*

Sicut qui in theatro fuerunt perfusoriè oblectati, vbi finem ludicrum habet, & adfurgunt, cum morsu abeunt, adeò solido nullo gaudio aut fructu: sic in his vitæ studijs aut voluptatibus est cum fagerint imò cum fugiunt, angunt. Idem in pueris, cum à lusu cessant. *Ibid. lib. 2. Dissert. 1.*

Vt ij qui improcliui sunt, sese & equos sistunt: sic in optabilibus & lætis faciendum ad quæ animus sponte fertur. *Cent. miscell. epistola 44.*

F I N I S.

TESTL.



T E S T I M O N I A
 A L I Q V O T
 S E L E C T O R I A
 E T
 S Y M B O L A
 Q V I B V S V I R C L.
 I V S T V S L I P S I V S
 S V A M D E
 C O N T V B E R N A L I B V S
 E T
 A V D I T O R I B V S
 N O N N V L L I S
 S E N T E N T I A M
 A S S E R V I T.

P R I M V M

ERICYO PVTEANO DATVM

QVICVNQVE HÆC
LEGITIS.

ESTOR apud vos ex a-
nimo, ERICIVM PV-
TEANVM benè hone-
steque natum, educa-
tum, institutum: inge-
nio ad optimas artes
facili & tenaci, in vira-
uis linguâ, Græcâ &

Latinâ peritum, Versu & Prosâ bonum, Vi-
tâ moribusque modestum: & plura etiam
reperienda in eo, si quis pernoverit, quàm
hic dicam. Habet Mathesim, Philosophiâ,
MUSICAM quoque: & planè dignissimus est,
cui bene velit, siue bene faciat, quisquis
Doctrinam, Elegantiâ, aut Virtutem a-
mat. Commendo vobis talibus hunc iuue-
nem, à mea quoque institutione & manu
profectum: ac spero, vel confido potius,
gratiam me debiturum quidem, si quis meâ
causâ bene fecerit, sed & habituros mihi,
si qui propius aut familiarius sibi iungent.
Rogo, fides mihi sit sincerè scribenti, rogo,
ipsi gratia aliqua & subsidiû, in mea scrip-
tione. Louanij III. Non. Sextil. ∞ .IO. XVII.

I V S T V S L I P S I V S, *Professor & Hi-
storographus Regis ipse scripsit.*

II.

THOMÆ SEGETO D.

QVI HÆC LEGETIS.

TEstor apud vos seriò, hâc meâ manu,
THOMAM SEGETVM, gente & domo
 Scotum, notum mihi à pluribus annis fuisse,
 imò ab ipsa prima eius adolescentia, meû
 vel discipulum, vel auditorem. Eo omni
 tempore, probis se probasse, ac mihi inprimis,
 ob acre & excellens ingenium, ardorem,
 studiumque discendi: atque ita profecisse,
 vt in meliori omni litteraturâ, paucos
 sibi æquales habeat, in æquali æuo. Addo &
 moribus modestum, ingenuûque esse, & dignum,
 quem tales omnes æstiment, atque ament.
 Peto igitur, atque absens rogo, vt hunc
 in occasione adiutum velitis, fauere animis,
 cõsilijs, factis: benè locaturi beneficium,
 quodcumque in eum conferetis. Stirpes istæ
 fouendæ & attollendæ sunt in commune reip:
 bonum, cui boni omnes studemus. Louanij,
 vi. Kal. Sext. .cc. .io. .xcvii.

I. LIPSIUS.

III.

GVILIELMO ATHENIO D.

QVICVMQVE HÆC
 LEGETIS.

TEstimonium, & preces meas hîc habete.
 Illud, quia seriò, & ex fide testari possum
 GVILIELMVM ATHENIVM Belgam, olim
 Louanij inter Auditores meos fuisse,
 inge-

ingenio & moribus bonum, parentibus etiam & totâ stirpe honestis. Preces igitur adiungo, vt quoniam apud exteros nunc agit, & in Medicina (cui se dicauit) progressus ita fecit, vt publica iudicia & titulos meruerit; peto, inquam, carus gratulque sit apud eos, quibus Virtus, Doctrina & Humanitas, & (addam modeste) quibus LIPSIVS, etiam cara sunt. Equidem hoc beneficium interpretabor, & quamquam corpore abiunctus, animo iungam & adhaerebo, qui se mihi sic ostenderit amicum. Louanij, xv. Kal. Xbris. ∞ .IC. XCIX.

I. LIPSIVS.

IV.

IOANNI VVOVERIO D.

EGO, si quidquam bona fide, iam nunc testificor, hunc IOANNEM VVOVERIVM, è contubernio & domo mea adolescentem, mihi carum Modestiae & Musis fuisse: quas semper coluit, & vitam ad optima praecepta, ingenium ad artes conformauit. Commendo serio, bis serio, quicumque illa amant: addam & verecunde, si quis me amat, vt factum huic velit. Fucio verborum nemini imponam, nec ipse morum: candidus est, bonis bene natus est, & si quid ad rem, in re bona. Fauete, qui haec legitis, & breue sed fidum elogium censete: quod à vobis amplius auferet, si nosceris. Louanij, iv. Idus Sextil. ∞ .ID. XCIX.

I. LIPSIVS.

ANTO-

V.

ANTONIO RICHARDOTO D.

ANTONIVM RICHARDOTVM, adolescentem nobilem, Amplissimi patris PRÆSIDIS, sanctioris consilij filium, & si ab indole & moribus suis commendandum, si quis propè noscet; tamen & mei iudicij ac testimonio calculo producendum ornandumque censui. Quippe à contubernio & disciplina mea, in qua tres amplius annos egit: ita modestè, industriè, laudabiliter, ut mihi affectum sui æternum reliquerit, & alijs famam bonam & exemplum. Obsecro vos, si qui LIPSIÆ causã aliquid vultis, in hoc ostendite, & ut in mei partem transfundite & derivate. Falli aliquando in testimonio possumus, fateor:

—Σπένται γὰρ τε φρένες ἀνδρῶν,
namq; hominum mutabilis est mens.

ait ille: sed tamen ita de hoc adolescente, deque ingenio eius facto ad virtutè & prudentiam imbibi, ut confidam eum, velut arborem ad flumen irriguam, ad omnem laudem magis magisque assurrecturum, & suis honori, patriæ vsui futurum. Quod Deus illi donet, quo teste hæc scripsi. Louanij, Kal. Iunijs, ∞ . 15 c.

I. L.

FRAN-

VI.

FRANCISCO ORANO D.

AD

Cæsarem Baronium, Cardinalem.

ILLUST. & R. D. Vereor peccare apud te, & ingeniti mihi pudoris limites transilire, dum sæpius adeo, & in aliena causa ac gratia interpello. Sed qui me subtraham? Ille ipse non solum è disciplinâ meâ, sed è domo est, & plures annos modestè atque industriè hic egit. Itaque aditum ad te avidè quærenti, da veniam, si breui hoc scripto fruam: præsertim cum is ad beatos (ita cõfidimus) abierit qui coram potuit, debuit, què commendare. Is cræt patruus eius, vⁿⁱ clarigratiq̃ue nominis, FRANCISCVS ORANVS, in Duodecimuirali apud vos consilio: cuius memoria, vt nepoti gratiam aliquam conciliet, ego eius vicem rogo. Modestum, probum, iuris veteris non imperitum (pro ætate quidem) hunc quoque reperies: & me semper Illust. & R. Domine, inter fidos addictosque tuos clientes. Lonan. viii. Kal. Xbris. ∞ lbc.

VII.

VII.

IOANNI HEMELARIO
SCRIPTVM.

QVI HÆC LEGETIS,
SCITE
EX FIDE ET AFFECTV
HÆC A ME SCRIPTA,
SI QUID VNQVAM.

ISTE est IOAN. HEMELARIUS, gente Batauus, e veteri mea disciplina, & fructum ex ea traxit, ingenij bonitate & industria, inter omnium primos. Optimi mores, faciles, lepidi, doctrina varia in Græcis, Latinis, prosa, versa, etiam a pictura non alienus, & quicquid acri vel alto ingenio libet aut licet. Rogo vos, qui videtis, mea fide, hæc credite; imò vestra potius fide, & noscite, penetrare: nunquam me æternus ille Amor amet, nisi vos ipsum. Hæc breuiter, & testimonij religio non diffunditur. Scripsi, signauique Louanij. VII. Idus Septemb. ∞. 10 C.

IUSTVS LIPSIVS, *Historiographus Regius, & Professor, meapte manu.*

VIII.

PHILIPPO RVBENIO D.

OMNIS ORDO,
 QVISQVIS HÆC LEGES,

Ex fide & vero scies scripta. PHILIPPVM
 RVBENIVM domo Antuerpiã, annos P.
 M. quattuor in domo & contubernio meo
 egisse, mensuræ participem, sermonis & disci-
 plinæ. Probitatem a natura & modestiam
 attulisse, item semina aliqua doctrinæ, quæ
 immane quãtum in spatio illo brevi auxit:
 Latinã & Græcã literaturã promptus, v-
 trauis oratione siue scriptione disertus, so-
 lutã & nexã. Historias & antiquitatem
 addidit, & quicquid boni bonitate & ce-
 leritate ingenij hausit, iudicio direxit.
 Adeo supra rem nihil adstruo, vt pro re
 non dicam. Vis fidem? experire, & sub
 modestiæ illo velo, sed paullatim, retege
 quæ dixi, & quæ non dixi. O vos, quibus
 Virtus & Honos cara, carum hunc habete.
 producite, applaudite: ita vtraque illa vos
 respiciant, & hunc Fortuna, quæ pro meri-
 tis nondum eist. Scripsi & signavi,

IVSTVS LIPSIVS, *Professor & Hi-
 storiographus Regius.*

Louanij, xv. Kal. Octob. ∞. Ioct.

Nico.

IX.

NICOLAO HACQVEVILLIO
DATVM.

Qui subscripsi testificor, NICOLAVM HACQVEVILLIVM, domi nobilem adolescentem, in optimis studijs artibusq; deditum, hic annos aliquot egisse, me vidisse & frequentasse, ingenio eius & indole oblectatum. Ut in via cœpta longius pergat, eius conatus, nostra spes & votum: preces etiam apud exteros, ut adiutum prouectūque velint. Naturam benignam reperient, ingenium facile, faueant, dirigant, & ad proprium & publicum bonum (ita natus est) ducant. Hæc breuiter, & testimonij fide.

IUSTVS LIPSIVS, *Professor & Historiographus Regius.*

Louanij, Kal. Septembr. ∞ .10. CII.

X.

IOAN. BAPTISTÆ BARONIO D.

Exteros & non plenè & certò notos tractatitia humanitas nostra commendat: quomodo non istos, qui è domo, disciplina, & velut sinu nostro prodierunt? In iis est IOAN. BAPTISTA BARONIUS, vir nobilis, ingenio & moribus laudatissimus, & cui e-

ego vel liberos meos (si Deus dedisset) similes esse exoptem. Quadriennium / circiter apud me egit, ad aliena loca ite visendi discendique gratia: comitor eum beniuolentia & hac etiam commendatiuncula apud amicos. Videte & excipite libētes, obsecro, vel meâ causâ: paria fecero in re simili aut aliâ, sic iustè & honestè rogatus. Testor & signo

I. LIPSIUS *Professor & Historiographus Regius.*

Loua. III. Non. Oct. ∞ .I. O. CII.

XI.

HADRIANO SAISSEVALLIO
DATVM.

QVICVMQVE HÆC
LEGETIS,
OFFICIA, CVLTVM,
SALVTEM DEFERO.

Viri boni est Virtutem amare, & adiutum ire, sic vbi ignota ea est, vel testimonij & subsidij eget. Quod promptè in isto V. N. HADRIANO SAISSEVALLIO, arque etiam meritò, facere me profiteor: quippe qui cum ab annis plurimis nouerim, consueuerim, & Virtutis semper, antiquæ pietatis, doctrinæ, & humanitatis reppererim

pera-

peramantem. Quisquis noscet propius & accedet, idem mecum fatebitur, nec ei testimonium istud scriptum. Sed sicut subito occurrit aut obijcitur, ut solet; praesertim cum nunc peregrè ad mercatum optimarum artium eat; hunc rogo fidem nos habere, istum amare & fouere, affectu illo & auxilio dignum. En me sponsorem, non poenitendum eum si quis benignè complectetur aut faciet: me etiam creditorem, & in accepti tabulas beneficium hoc relaturum. Scripsi & signavi

IVSTVS LIPSIVS, *Professor & Historiographus Regius.*

Louanij, vi. Kal. Octobr. ∞ .1602.

XII.

GODEFRIDO HERTELIO
DATVM.

QVI HÆC LEGETIS,
SALVTEM ET OFFICIA
MEA DEFERO

INter exteros, qui in hac studiorum sede egerunt, GODEFRIDVS HERTELIVS, gente Germanus, fuit, commendatus mihi ab Illust. viro Matthæo Wackhero, sed qui ipse se vitâ & moribus magis deinde commendaui: vixit enim hic circiter triennium

enium modestè, quod ad vitam, industriè quod ad studia: & utrobique vel bonam vel excitatam indolem ingeniumq; ostendit. Iuris studia scopum habuit, adiumenta & directionem etiam litteras: atque his causis honorem inter consortes studiorum assecutus, Collegio studiosorum Iuris præfuit DECANITULO ornatus. Ab his initijs ad altiora progressurum, spes & votum nostrum est: fauor modò bonorum adiuuet, quem impetratum ei cupimus; atque utinam aliquid faciat gratia nostra! Rogamus, & saluere vos iubemus, qui hæc legistis. Louanij, V I. Idus Ianuar. anni.
∞ .IOCH.

I. LIPSIUS *Professor & Historiographus Regius.*

XIII.

GAUGERICORIVIO D.

LECTVRIS S. M. DICO.

GAUGERICVM RIVIVM iam diu indoles, industria, & denique doctrina ac virtus maximè, mihi conciliarunt; quæ omnia nota perspectaque annorum aliquot consuetudine habeo, & talia ea esse apud omnes EX ANIMI SENTENTIA testor: Me delectauit, & in æuo haud fertili nimis talium eminere visus est, & dignus esse.
quem

quæ alijs ostenderē: ostenderē? imò & seriò
cōmendarem, si qui illa priora amant. Viri
magnates, & quibus Respublica, atque e-
ius splendor cara sint, imprimis curare de-
bent, & sæculi hæc ornamenta fouere ac
producere, in huius & futuri sæculi vsum.
Ego rogo eos facere, hunc amatum mihi a-
mare, & in occasione alleuare atque adiu-
uare. Stirps ista melior irriganda & attol-
lenda est, vt fructum floremque proferat:
proferet autem spondeo, si illud fiat. Loua-
nij, Kal. Quintil. ∞ .M.C.III.

I. LIPSIUS *Professor & Historiogra-
phus Regius.*

XIV.

IOAN. VERGERIO AVRANO

DATVM.

Virtutem qui amat, agnoscit, qui agnos-
cit, promouet, & gaudebit plures cul-
tores eius esse. Ideo mihi grata indoles, &
cum indole studium, IOANNIS VERGERII
AVRANI Baionensis: quem à quattuor cir-
citer annis in hac vrbe & Athæneo noui, o-
ptimis semper artibus operatum, & præ-
sertim Theologiæ, cui Principi scientiarũ
sublime & subtile ingenium suum addixit.
Quæ experimenta & pericula ego vidi? &
nuper vtique, cùm VI. Kal. Maias de vni-

uerfa Theologia, in publico cœtu, solenni
disputatione respondit: sic promptè, argu-
te, firmiter, vt cum admiratione volupta-
tem gigneret in animis auditorum. Seria fi-
de hoc testificor, & Deum precor proue-
here hoc ingenium suo honori, repu-
blicæ Christianæ bono, cui natum augura-
mur. Louanij III. Idus Maias. ∞ . 161111.

I. LIPSIUS, *Professor & Historio-
graphus Regius.*

XV.

GVILIELMORYSSELINCO.

Merentibus testimonium dare, & fauo-
rem præstare, vetus humanitas & me-
us mos habet. Ideo hunc GVILIELMV
RYSSELINCVM è nostra Belgica, opti-
mis studijs, & præsertim Iurisprudentiæ,
in hac Academia operatum etiam genere
& moribus bonum, audeo producere & se-
riò commendare iam ad externos & in bea-
tam illam Italianam euntem. Rogo, si quis
ei benè & benignè facere potest, etiam
velit, in merentem quidem beneficium cõ-
feret, & collato, vt spero gaudebit. Louanij,
XVI. Kal. Septemb. ∞ 1615.

I. LIPSIUS *scripsit, Historiographus & à
Consilijs Principum.*

XVI.

GVILIELMO MALINÆOD.

QVI HÆC LEGIS.

SCITO GVILIELMVM MALINÆVM
 Smeritò & libèter a me commendari. Meritò ob ipsum qui modestiâ, & industriâ, progressu in studijs meretur, quæ studia aliquot annos in hac academia coluit: notus mihi interea, & in lectionibus publicis sæpe à me visus, & priuatim ipse etiam ad me vitens. Libenter autem ob Avum & ob Patrem. Ob Avum, cuius nomen refert, qui in magna CAROLI V. aulâ egit, à cubiculo eius, & vir præter priscam probitatem, priscâ, & eleganti doctrinâ imbutus. Ob Patrem autem Carolum, mihi à pluribus annis peramicum, moribus, ingenio, eruditione, iudicio egregium, & quem dignitas ac munus publicum non tam ornat, quam ab eo ornatur. His inquam, caussis, amo GVILIELMVM, & factum quam optimè illi cupio, & rogo si qui me, aut mea amant, partem affectus in hunc deriuent, quæ pars velut riuulus ad fontē, id est, ad me redibit, & ego mihi inscribam & imputabo quidquid in hûc benignè & amicè fiet. Fiat rogo, & iterum dico, meritò ac libenter commendo Louanij .ix. Kal. Ian. ann instantis.
 .1591. CUM hoc ipso mane in publica
 eius

eius responsione, ac disertatione super Iure
interfuisse, in qua specimen p̄fectus at-
que ingenij sui dedit,

IVSTVS LIPSIVS, *Historiographus
Regius, & Consiliarius Principum.*

IN SCITA

LIPSIANA


MAXÆMILIANVS

VRINTIVS

S. P. Q. GAND.

A SECRETIS.

Indigno depressa situ dignissima scitu
Postumane LIPSI scita latere queant,
Eruit hac scitè scitissimus ille virorum
SWERTIVS, & Domino dat superesse sito.



SYMBOLA
L I P S I A N A .

I.
ANNÆ PERENNÆ
S.



VÆ te, LERNVTI, quæ
DOVZAM, quæ GISEL-
NVM mihi, quæ me vo-
bis seruet, & in æuum
hanc sanctam Amici-
tiam nostram, hanc
fraternam cōcordiam
perennet. Vt quod tu-
mulis inscribi solet, de nobis posteritas di-
cat.

V I X E R V N T
S I N E
Q V E R E L L A .

M O R I B V S A N T I Q V I S
res stat Romana virisque.

Rogatu tuo, magni & æterni AMORIS,
leue hoc monumentum, præut alia
sunt, præut erunt.

I V S T V S L I P S I V S
scripsi Lugduni in Batavis, cū in-
uiti diuelleremur ab inuitis ∞. IC.
LXXVIII. XVI. Kal. Octob.
H A V E E T S A L V E .

M O R I -

II.

MORIBVS ANTIQVIVS RES

stat Romana virisque.

TIBI

ABRAHAME ORTELI.

Non urbis tuæ, sed Orbis Sol, quem æternis monumentis illustrasti,

IVSTVS LIPSIVS

scripsi

hoc sancti & perpetui amoris Symbolum.

Lugduni Batauorum. IV. Eid. Sextil. 66. 16.

LXXIX.

Qui vtuntur vino vetere sapientes puto:

Et qui libenter vetera scripta pellegunt.

— ἐκ μισθῶν ἀγαθῶν κλεῖς.

III.

Inscribam, GRVTERE, tuo vis nomen in albo?

Nil opus est: animo scriptus es ipse meo.

Paruimus tamen, & dedimus sine FRAVDE

DOLOQVE,

Exiguum hoc magnæ pignus Amicitia.

IANO GRVTERO

ornatissimo iuueni,

in quo ingenium cum modestia,

Virtus cum Doctrina

certaturæ videntur,

vtiusque Apollinis mystæ

IVSTVS LIPSIVS

beniuolentiæ Symbolum posui
Lugd. Bat. Prid. Id. Nouemb.

∞ .IO. LXXXII.

μεγίστη πρᾶξις ἢ ἀπρᾶξις.

MORIBVS ANTIQVIVS
res stat Romana virisque.

IV.

MORIBVS ANTIQVIVS RES
stat Romana virisque.

Tibi

LANE HAVTENE

Poëtarum nostri aui, nostræ linguæ
exorte flos,vulgato sermone nihil vulgatum
spirans, & ideo aliquid supra
vulgus meritò sperans,restandæ amicitiaë per hos non fortuitu,
sed iudicio initæ, constantis
& æternæ,IVSTVS LIPSIVS libens posui
hoc manus meæ monum.
cui D.M. & adulatio abest.

Tu seu cognoscenda purabis an ignoscenda

Hæc mea, siue legi, siue regi iubeas:

Iudice te & censore vno contētus quiescæ.

Displicuisse librum credam ego nō animū.

Lugduni Batavorum, postrid. Kal. Iulij,

∞ .IO. LXXXII.

MORI-

V.

MORIBVS ANTIQVIS

res stat Romana virisque.

μεγίστη πρᾶξις ἢ ἀπρᾶξία.

Clarissimo viro

& Iuris, Historiarumq; scientissimo

D. IOANNI GEVARTIO

Amicitiae testanda ergò

scripsi

I V S T V S L I P S I V S

Lugduni Batauorum, prid. Idus Septemb.

C D . I D . LXXXIII.

D O L . M A L . A B E S T .

VI.

MORIBVS ANTIQVIS

res stat Romana virisque.

Hoc Monumentum

CANÆ FIDEI

SACRAMVS,

quam praesic

A M O R I

E T

A M I C I T I Æ

huic volumus:

qua te

O T H O V E N I

cultissimæ mentis & manus

adoleicens,

prosequor, & a. extremum

prosecuturus sum:

quocunque te, quocunque me DEVS tra-
het. Scripsi ego

IUSTVS LIPSIVS Lugd. Bat. postridie
Kal. Iun.

∞ .IO. LXXXIV.

VII.

MORIBVS ANTIQVIS

res stat Romana virisque.

At res & societas humana Amicitia:
quam tibi

ABRAHAME MILI

sanctam fidamque promitto,

(ita ingenio, doctrinâ, virtute mereris)

quamdiu superstes ego.

Salua à IUSTO LIPSIOTO tuo,

qui tibi ad virtutes progressum precatur,
à peregrinatione regressum.

----- *scelerum caussa mortalibus &gris.*

Naturam nescire DEVM.

Anno cIo. Io. LXXXV. eid. Aug.

VIII.

MORIBVS ANTIQVIS

res stat Romana virisque.

CApe à me DOVZA fili, anuli huius mu-
nus, diu tibi destinatum & debitum,
nunc redditum, etsi non ex meo voto. Lau-
ream insculpi iusseram; sed ita me Deus
amet, vt non ab astu iste faber. Tu tamen
materiam omitte, artem, pretiû: me & mē-
tem

tem meam vide. Si vis, & omen admitte,
 quo tibi Phœbi insigne confero ACADE-
 MIÆ CÆSAR. Currum triumphalem tui
 Patris (nec diu erit) curru alio sequere, non
 ultra contentus vehi funali equo. Deus fa-
 ciat, & te seruet; tibi mentem istam cum
 modestiâ, sine quâ in pulcherrima herba
 perijsse scito omnia mea vota. Lugd. Bata-
 uor. VI. Kal. Iun. CIO. IO. LXXXVII.

IX.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virisque.

Habe hoc à me

EMANVEL DEMETRI

Vir optime & prudentissime.

animi affectusque in te

testimonium,

quod subito sed serio &

bona fide scripsi

IVSTVS LIPSIVS.

Lugd. Bat. IV. Kal. Iul. ∞. IO. XC.

X.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virisque.

Ego te

DOMINICE BAUDI

ad omnia doctrinæ & virtutis

exempla genitum puto:

& ut femina ingenij tui sequaris,
feriò horror.

Amor meus à te non recedet,
quamdiu tu à te non discedes.

Scripti sine dolo

IUSTVS LIPSIVS.

XI.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana virisque.

Te

PETRE BERTI.

ob animi dotes virtutesq; mihi carum esse,
& fore ex animo fateor.

Ingenium in te, doctrina, probitas,
quæ alius quoque amabit, quisquis noscet.
Tu para te & assere, nõ tam ad famam, quã
ad tuam publicamq; salutem.

IUSTVS LIPSIVS

scribo & voueo,

xvii. Kal. Mart. ∞ . iij . xci.

Εχ μοισαῦ ἀγαθου κλεός.

XII.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana virisque.

Ego libens hoc album tuum
FRANCISCE SWERTI

in scri-

inscribo, & pignus amoris mei
tibi do:

quem iam ante animo huic in-
scripsi: Id meruerunt amor &
studium tuum

Virtutis, Litterarum, Mei.

Ama deinceps, amabo, spondeo

IVSTVS LIPSIVS.

Louanij, Prid. Kal. Iun. 1610. XCIII.

Homer. --- ἐπεὶ δὲ μὲν ζῆμασι-
γυγίζοις χερσίων.

Γίνεσθαι. ὅσῃ κεν ἐξ αἴθρας ἐὼν πεπυδ-
μένα εἶδῃ.

XIII.

Amicus animo possidendus est,
ait olim Seneca:

Ego apud te item mi-

VANDER-HAGI,

& testor Fide aduocata,

te huic animo infixum hætere,

hæsurumque porro

donec in me ipsa anima.

Ita iunxerunt nos Virtus &
Doctrina melior quam amamus,
heu, quam inter æmulos paucos
& riuales!

Sed tamen ex nostro scito,

MORIBVS ANTIQVVS
res stat Romana virisque.

I. LIPSIVS hæc scripsi ex animi mei
 sententia, Bruxellæ II. Idus Octob. ∞ .IO.
 XCIII.

XIV.

MORIBVS ANTIQVVS RES
stat Romana virisque.

Quos mores, & Viros, & doctri-
 nam etiam (sed Religio præcat)
 tibi

ERYCIPVTEANE,
 commendo.

Ingenium & institutio adsunt: cætera Deus
 dabit, tu facies, & florem hunc adoles-
 centiæ in optimis artibus consumes.

Hoc tibi opto & voueo.

I V S T V S L I P S I V S .

Louanij, XVI. Kal. Octob. ∞ .IO. XCV.

XV.

MORIBVS ANTIQVVS
res stat Romana virisque.

Quemadmodum stellæ non sibi,
 sed huic orbi lucent;
 Neque tellus sibi fecunda,
 sed mortalibus:
 sic ad alios ingenij nostri lucem
 peruenire necessam est.

Idà te

Id à te factum, mi SWERTI,
 Poëſios Rhetoriceſq; monitis
 Iuuentutem Belgicam Contraci,
 Brugis, & Duaci erudiens:
 At nunc maiorum ſcientiarum
 imbribus adauctus,
 ad grauiorem de loco altiore
 docendi prouinciam,
 quò te Deus & Genius
 tuus vocant, proficiſceris.
 Aude forti animo ab erronea
 abductos via
 mortales cælo inferre.

P. ROBERTO SWERTIO

ſcripſit.

IVSTVS LIPSIVS,
 ac Louanio diſcedenti benè
 precatus eſt.

∞ .ID. XCVI. XV. Kal. Octob.

XVI.

MORIBVS ANTIQVIS

res ſtat Romana viriſque.

Tritum illud meum
 inſcripſi

GVILIELME BARCLAY,

ſed affectu quodam ſepoſito &
 ſingulari:

quem mereri arbitror
 Probitatem tuam,
 Ingenium tuum,

Indu-

Industriam tuam,
 Eruditionemque.
 His me deuinctum animo
 tecum habes,
 & hoc carmine extemporaneo
 libuit testari.

Quid CONSTANTIA vult sibi ista?
curve

Vertit ad veterem suum parentem?

*Tum mittis GUILIELME? nempe ut isti
 Inscribam fidei, meiq; amoris*

Constantis monumentum? ego hoc recusem?

Tum nec sancta Fides, nec Vlli Amores,

Nec Virtus, Præbitasq; sint amica,

Ni me profitear libens amicum,

Nunc esse, & fore reliquos in annos,

Si Deus mihi reliquos dat annos.

Sanctè spondeo, & hoc peto vicissim,

Vt mecum paries fide atque Amore.

IVSTVS LIPSIVS

αὐτοκεδία ὄμν.

Idib. Ianuar. cio. io. xcviij. Louanij.

XVII.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virique.

Vides illud meum, aut Ennij
 potius, quod non temerè probo.

Nam Viri senes in consilio,

Mores.

Mores & religio vetus in Re-
publica omnia seruant:
Nouatores & noua perdunt.

Tumi

AVBERTE MIRÆE,
qui Theologiæ studium felici
pede es ingressus,
Prisca & prisca ama,
tuere, defende.

Pestes istas nostri sæculi oppu-
gna: quòd te istâ industriâ.

& ingenio

(Dei dona sunt)

Feliciter facturum vouemus
& speramus.

Ego, inter alios tibi fauceo,
& ferò amicus sum

IVSTVS LIPSIVS,

& fidem ac pignus

hanc manum meam dedi.

Louanij, postrid. Idib. Febr. 60. 10. XCVII.

Dol. mal. abest.

μεγίστη πρᾶξις, ἢ ἀπραξία.

XVIII.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana virisque.

Tibi

CORNELI VANDEREM

duplex testimonium bonâ fide,

hîc consigno,

Pro-

Probitatis, Ingenij, Industriae,
itemque amoris mei qui
fluxit
ab illo fonte.

Vtere his dotibus ad tuum
& publicum decus.

Vtere.

obiter & manu tuâ,
quam ad liberalem picturam
Natura ipsa ducit.

IUSTVS LIPSIVS

scripsi Louanij, iv. Id. Iunij, cId. Id. xcvii.
D. M. A.

XIX.

MORIBVS ANTIQVIVS RES
stat Romana virisque.

Abeuntem te a nobis,

ERYCI PVTEANE,

Elogio prosequor libens merito,
Ingenio, Doctrina, Modestia,
carum nobis fuisse.

his dotibus inter primos
tui ordinis fuisse.

Deus hæc seruet, augeat,
Det iter feliciter exsequi,
in quo affectus aurâ te
comitamur.

Vade, vade, redi.

Votum concepi, & posui.

IUSTVS LIPSIVS.

S. E.

*Sed nil suauius est, benè quàm munita tenere
Edita doctrinâ sapientum templa serenâ.*

XX.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virisque.

Vobis fratres gemini

A N T O N I &

IOANNES BESANCENOTI

beniuolentiæ meæ, quæ animo
impresâ est, tesseram manu
etiam expressi.

Communitè amaui Sequanos,
& apud eos suauiter vixi,

Priuatim colui A N T O N I V M

P E R E N O T V M, Fortunâ, &

dignitate magnum Virum,
maiorè Virtute & Prudentia,
quem gloriôr patronum mihi
fuisse & altorem,

idque in domina rerum ROMA:

Sed & alios priuatim noui, &

nosco vestræ gentis, Magnos
præclarosq; viros, quos viuos
non laudo:

Vos hortor ad exempla imitanda,

voueo Fortunam eandem

& successum.

Deus faciat.

IUSTVS LIPSIVS *Regius Professor &
Historiographus.*

Louanij, vi. Id. Sextil. c. 10. 10. xcvii.

MORI-

XXI.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virisque.

Vidi te, audiui, amaui te

ROBERTE SCHILDERI.

Indole, ingenio, toto genio
hoc mereris:

qui facilis ad optima, pleno
gradu illuc tendis.

Fautorem me habes,
adiutorem etiam
si qua possum.

Ama amantem, restipulor:

ego facio faciamque

IUSTVS LIPSIVS.

Louanij, iv. Kal. Iulij, ∞. IO. XCVIII.

XXII.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virisque.

Tibimi IOAN. HEMELARI

Vetus auditor & amice noster,

quem lætis oculis nunc

vsurpauit ex interuallo:

eiusdem firmi animi mei

testeram hanc pono

IUSTVS LIPSIVS

Louanij, ix. Kal. Xbris. ∞. IO. XCVIII.

μεγίστη πράξις ἢ ἀπράξια.

MORI-

XXIII.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana viriſque

Quod carmen, ſi cuiquam,
TIBI IOAN. WOVERI
libens meritò inſcripſi.

Qui & ipſe Mores Antiquos
amas,

& vna Doctrinam & Sapientiam
æmulatis,

vigili ſtudio, acri mente.

Iis nominibus te mihi percarum
fuiſſe & eſſe teſtor:

fore etiam confido.

Libuit & Carmine te affari.

affectu dictante, non Camœnâ.

W O V E R I mihi care, carior em.

Quem fecit domus atque ſermo & uſus:

Et notum magis, amo magis proboque

Qui muſas colis has amantiores,

Nec ſolâs tamen has, ſed & ſeuerâ.

Gaudes Pallade, Pallademque neſcis

Cum virtute ſimul Modestiaque:

En ſcripto tibi pectoris reſſus

Noſtri pandimus, intimosque amores.

Hos habes ſine fraude, & hos habebis

Dum me terra, vel æther ipſe habebit.

IUSTVS LIPSIVS.

Lou. xiii. Kal. Iun. .∞. .15. .xcix.

Huic Mon. D. M. abeſt.

μεγίστη ἢ πράξις ἢ ἀπράξια.

Maximum negotium otium.

XXIV.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virique.

Egregiâ indole & in Virtutis
doctrinæque spe

PETRO vanden ZYPE

Mechliniensi,

cui viam ad elegantiores artes
& animi cultum

IOAN. BERNARTIVS

cognitione & amicitia meus
stravit,

hoc beniuoli propensique animi
testimonium

IUSTVS LIPSIUS posui:
cum Bruxellæ essem in alterâ
meâ patriâ,

Iter Romanum meditans,
quod Deus dirigat,
& incolumem ibi,
atque iterum hic sistat.

Fac ô tutor Deus

Scripsi xvi. Kal. Iulias. ∞. id. xcix.

μεγίστη πράξις ἢ ἀπράξια.

Maximum negotium otium.

XXV.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virisque.

Beniuolentiæ meæ

monumentum hoc posui

PETRO DE LA TORRE

QVINTIANA DVENAS,

quem indolis ad Virtutem

& Doctrinam causâ

amo,

& in vtraque progressus :

tum & auunculi

FERD. DE SALINAS,

V. C.

ingenio,

memoriâ & prudentiâ rari,

atque his dotibus in primum

Senatum adsumpti.

Tu PETRE, domesticum exem-

plum, vt in oculis habes,

sic in mente admirare & imitare.

I. LESIUS scripsi.

Louanij, VII. Kal. Iul. ∞. MD. XCIX.

Cum animo iter Italicum destinassem.

XXVI.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana virisque

Nobili adolescenti

IOANNI DROSTENO

beni-

SYMBOLA

beniuoli animi Symbolum
 hoc posui I. LIPSIUS
 & in Galliam abeunti moni-
 tum instillo,
 perseverare in rectissimo
 cursu,
 quem ad Virtutem & Doctrinam
 cepit.
 Bonis votis DEVS aderit, &
 tui item custos.
 Louanij, III. Kal. Iul. ∞ . 12 . XCIX.
 cum & ipse iter Italicum
 meditarer.

XXVII.

In albo N. V. IOANNIS GVILIELMI
 DE SPANGEN, Domini ab Audris,
 iuxta Symbolum LVDOVICI XI.
 Galliarum Regis:

IMMENSI TREMOR OCEANI

MORIBVS ANTIQVIS
res stat Romana virisque.

Vetus hoc scitum meum,
 adfectus in te pignus,
VIR NOBILISSIME,
 libens hic inscripsi,
 æternùm amaturus
 Virtutem, Candoremq; tuum,
 quo vtinam frui nobis
 in Bataua tua sed veteri,

Religioni & Principi restituta
liceat!

Iterum utinam!

Sed Deus & Fata dabunt,
cùm implebitur ista
ciuilium, heu, bellorum
periodus:
nescio an saluis nobis.

*Paucæ damus tibi verba: quid est opus? en tibi
mentem*

Verborum pariter sensuum & Oceanum.
Hanc habe S F.

Louanij scripsi I. LIPSIUS
Postridie natalis mei LIII.

Anno ∞. 10. XCIX.

XXVIII.

MORIBVS ANTIQVÆ RES

stat Romana virique.

Nobili iuueni

BARTHOLOMÆO BVCHOVIO,
nec genere solum

Sed indole; ad optimas artes
& nato & facto, scripsi animi
mei veteris amici testimonium

IVSTVS LIPSIVS

Louanij, vii. Kal. Iulias ∞. 100.

μεγίστην πράξιν, ἢ ἀπραξίαν.

Abi felix mi BVCHOVI; a Virtute, Prudentia, Doctrina non abi.

DOVZÆ mei nomen & manus, quæ
anteunt, memoriam veteris amicitia
vellicant, ô quando instaurandæ! DEVS
da pa-

da pace bonâ iungi, da concordés ad te ire,
quò tacitimus, & labente fallenteq; horâ.

XXIX.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana viriſque.

Manum hanc meam
beniuolentiæ in te
mi CHRISTOPHORE HEROLDE
indicem, & abeunti
dedi, & hic eam
conſignatam relinquo.

S. F.

Louanij, vii. Kal. Iul. ∞ .100.

ΕΙΧΗ ΨΥΧΗ ΣΟ ΦΩΤΑΤΗ.

XXX.

MORIBVS ANTIQVIS RES

stat Romana viriſque.

R. & CL. Viro
amico vero & veteri,
cum Muſæum eius, & rerum
elegantia, vel raritate
laudabilium theſaurum,
libens miranſque vidifſem,
(manum affectus mei, &
iudicij telleram hic reliqui.

I. LIPSIUS.

DIO-

DIONYSIO VILERIO

dum ero, meo.

μεγίστη πρᾶξις, ἢ ἀπρᾶξις.

Maximum negotium otium.

In vrbe Neruiorum, vi. Id. Iunij ∞ .ICDL.

S. F.

X X X I .

MORIBVS ANTIQVIVS RES

stat Romana virisque.

Et tu quoque deseris R V B E N I ?

sed volentem, nolentem,

Affectus retinet,

Vtilitas dimittit.

I quo ea te vocat,

Italiam lustra, & reliquias
mirare mirabilis illius æui.

O si me duce licuisset!

Nunc votis comite,

Et apprecamur: ire, videre,

discere, valere, redire:

atque inter hæc omnia,

imò ante omnia

nos amari.

Scripsi I V S T V S L I P S I V S .

Louanij, XIV. Kal. Octobr.

∞ .ICCI

H. M. D. M. A.

K

M O .

XXXII.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana virisque,

IOAN. ROBERTO
 THVMERIO,

Viro à genere & ingenio
 nobili,

quem studio honesti
 feruentem

oculis libens vidi,
 animo inferui

IUSTVS LIPSIVS.

Fausta omnia & votiu
 comprecor,

&, in paucis verbis,

Vt virtuti eius comjteret

FORTVNA.

Louanij, V. Id. Iul. ∞. 1661.

AD EVNDEM.

VT DI dent tibi, IANE, que mereris,
Simplex & brevis optat hac tabella.

Non noto nimium satisque noto:

Tantum horarius ille sermo noster

Ostendit mihi te simulq; iunxit.

Vir nobilis habes quod petiisti, inscripsi
 chartæ quod in animo habet clausum. Bre-
 ue, sed simplex, & ideo verum est: DEVS &
 tu facite, vt magis magisq; tale. Quos salu-
 taria me velim suat Ill. vir IO. BARVI-

TIVS

TIVS Cæsaria consilijs, cui velim ego
 sim vel amicus, ut ipse vult, vel ut ego ciliens.
 Magn. & CL. MATTHÆVS WACKHE-
 RVS & HVB. GIFFANVS, vterque item
 à consilijs. Quod si via te Augustam ducit,
 ô meum illum MARCVM VELSERVM
 Germaniæ ipsum decus amplectere: & in
 eo virtutem ac doctrinam ipsam. SALVE,
 abi, incolumus & redi.

XXXIII.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana virisque.

IOAN. BAPTISTÆ BARONIO, meo,
 à domo & institutione, inquam, meo,
 quem amor discendi à patria nobisque
 diuellit:

sed corpore. nam animo hæret, hærebitq;
 donec ille in corpore.

Testor I. LIPSIVS hoc scripto, & versu
 extemporalis:

BARONI, cui stirps, itemq; virtus,

Doctrinæ vtraque copulata, lucem

Iam dedere, dabuntque clariorem:

Quod crescentibus his, & ipsa crescet:

En nostri tibi pignus hoc amoris,

Clausum pectore quem manus reuelat:

Manus fida mei ministra sensus.

μεγίστη πρᾶξις ἢ ἀπρᾶξις.

Viue nostri memor, atque ita VALE.

CL. IOCH. II. Non. Octob.

XXXIV.

MORIBVS ANTIQVIS
res stat Romana virisque.

Abis à nobis

NICOLAE MICAVLTI,

Studio videndi & discendi,

etsi à me quidem non abis.

Nam hæres hærebisque in isto
 animo,

qui te sibi iunxit & pæne induit

Adeò Virtus sua Candor,

& cum Doctrina,

iudicij maturitas me ceperunt:

scio & alios,

qui te bene & introrsum noscent.

Commendo ijs, sed Deo in pri-

mis, qui te nobis sospitet, & in

brevi (sic meum votum est)

reducat.

Huic monum. siue testimonio

D. M. abest.

IUSTVS LIPSIVS.

XXXV.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana virisque.

Solemne meum tibi

CORN. VAN - DALE

libens hic scripsi,

sed

sed affectu aliquo nouo, &
 tralaticium illum transgresso,
 quem genuit in me honesti
 amans sciensque tua indoles:
 quam porrò perge excultam
 dare virtute & scientia,
 & metue copulam hanc
 disiungere.

Ita iunctus tecum hæream
 fido Amicitiaë nodo.

Fae & Salue.

Amabit sapiens, cupient cæteri.

IVSTVS LIPSIVS.

Antuerpiæ, quò inualetudo me
 miserat: postridie. Idus Maij

∞ .MDCIII.

XXXVI.

MORIBVS ANTIQVIS RES
stat Romana virisque.

Et tu quoque

ENGELBERTE DV BOISI,
 cum MICAVLTIO nostro abis?

Rectè & meritò:

& quo meliùs conuite potes?

Amicitia & affinitate iuncti estis,
 sed studio in primis veræ Virtu-
 tis iuncti,

quam vide ne peregrinatio de-
 coloret.

Mite illud & candidum in tè
 maneat, Prudentiam & vsum

.H ;

rerum:

SYMBOLA

rerum & elegantiam
ab exteris illis hauri.

Me quoq; ama, & reminiscere,
siue ero, siue

(an tantum praesagium est?) non ero.

Vale, abi, redi.

IUSTVS LIPSIUS.

XXXVII.

MORIBVS ANTIQVIS
res stat Romana virisque.

LYDOVICO CLARISSÆ
cui omnia votiua apprecamur
beniuolentia: mea tesseram
hanc dedi

IUSTVS LIPSIUS.

Antuerpiæ in gemmula Europæ, quo recre-
andi mei, ex grauissimo morbo, causa ve-
neram:

Kal. Iunij, ∞ .10C.V.

----- *semita certè*

Tranquilla per virtutem patet unica vita.
Hanc ergo assume mi CLARISSA, si illa vis,
id est tranquillitatem, virtutis fructum.

XXXVIII

In albo Amicorum

IUSTI HARVDYNI

Franc. F.

MORIBVS ANTIQVIS
res stat Romana virisque.

ET Patrem tuum amore, IUSTE, iusto
Dudum prosequor, eruditione
Hæc variâ meritum, elegantiaq;
Morû atq; ingenij: amore IUSTE, iusto

Et

Et te prosequor hoc parente natum.

Si vestigia consequi parentis

Porro pergis, & eruditione

Hunc refers simul elegantiaq;

Tu fac & faciam, manu ecce signo.

IVSTVS LIPSIVS.

Louanij, Idib. Sextilib. ∞ .10 CV.

μεγίστη πράξις, ἢ ἀπράξια.

XXXIX.

MORIBVS ANTIQVIS

res stat Romana virisque.

Beniuolentiæ causa, quam ingenium

& mores tui merentur.

GEORGI WENE

hoc inscripsi,

& velut pignus dedi affectus mei

I. LIPSIVS

Louanij XI. Kal. Iulij. ∞ .10 CV.

D. M. A.

XXX.

MORIBVS ANTIQVIS

res stat Romana virisque.

Insigni viro ab ingenio

& doctrina laudabili,

qui inter cultores Iuris

alibi & hic emicuit,

DIONYS. NEYSS. I. V. LIC.

Amicitiaë tessera, manu signauit,

corde dedit

IVSTVS LIPSIVS

Lou. XV. Feb. ∞ .10 CVI

I. bone quâ tua te virtus vocat.

INSCRIPTIO
NES PVBLICÆ.

I.

LIPSIANI HORTI LEX IN
IPSO ADITV,
sub persona bifrontis IANI
B. F.

Quisquis es, STA, LEGE, PARE.
IANVS ad hoc limen sic EDICO.
Horto & hero fruendi tibi ius esto:
Sed illo ad adspectum, isto ad sermonem.
Nisi oculis, quidquid heic satum aut na-
tum, NE LIBATO.
Tiro esto, manum apud te habeto.
Si effers ad tactum aut ad raptum:
Verbo dicam, te efferto.
Sed nec hero vsquequaque fruitor.
Ante sextam vespertinam ne adito:
Post septimam ne maneto.
Horæ alia: ad alias illi curas.
Heic cogitat, heic pangit:
STILV S heic est, abi musca.
Quid si & cœna? abi musca.
Sermones etiam ne ex léges.
Iocari licet:
Narrare licet:
Rogare licet:
Sed nihil serium.

Gratia-

Gratiarum hic locus est.

Si quid amœnitas tamen in studijs,
Inter ambulandum:
Differe, doce, disce.
Et Musarum hic locus est.

Tu qui seriosus,
Tu qui rixosus,
Exeste.
Clusius ego sum vobis.

Canis, præter vnam emaneto.
Hecuba, præter vnam, emaneto.
Habes? hoc etiam.
Quò quò te agis, te video.

AD HORTVM IVSTI LIPSI
Ianus Douſa F.

Felix hortulæ ter quaterque felix,
Qui, seu ver Borea fugato apricam
Inducis Zephyri tepentis auram,
Seu Sol igniferum premens Leonem
Exustos grauius hiulcat agros,
Præbes Lipsiadæ suos recessus:
Musæos & amabiles recessus.
Quo te carmine, quo canemus ore?
Non mendacia vana te vocabunt
Ad cœlum Heilados vlla fabulosæ:
Non Afri auriferum nemus draconis,
Non pomaria Tantali; atque mille
Florum in aëre penduli colores:
Sed cultoris honos decusque clari.
Dis, magnis quoque reddet inuidendum,

Cum præ vallibus ipsa te beatis
Coniux assidue colet Fauoni.

Et vos Alcinoë beata tali
O florentia gramina atque plantæ
Debentes pluuio nihil Tonanti,
Nam sufflamine vos sui Fauoni
Fouet LIPSIUS Musicique
Semper nectaris irrigat lepore.
Quo vos carmine, quo canemus ore?
Non mendacia vana vos vocabunt
Ad cælum Hællados vlla fabulosæ:
Non planta Idaliæ cruenta Diuæ,
Excussusque truci* puer nouercæ,
Et resperfa* sacro liquore terra;
Non gleba Oebalio madens cruore,
Non Narcisse tuo rigata fletu.
Sed cultoris honos decusque clari
Dis magnis quoq; reddet inuidendos;
Cum pro nectare cælitum beato
Vestro Iuppiter imbuet se odore:

Felix hortule, gramina ô beata:
Propter vos, Heliconios Apollo
Fontes linquit & antra sape Pindi;
Nec absque inuidiæ tacente morsu
Hortum LIPSIADÆ videt beatum
Præ suis celebrariet viretis.

II.

IN MVSÆO NOSTRO

Vitreæ inscriptum fenestra.

FRANCISCO SWERTIO F.

POSVIT

IUSTVS LIPSIVS,

SIG.

IUSTI LIPSI. 227
SIGNAVIT QVE IN REFRA GILI
FIRMAM ET ANTIQVAM
AMICITIÆ FIDEM.
c15. 15. xciii. Kal. Septemb.

III.

AD MINORITAS in fenestra vitrea
Antuerpiæ.

HONORI D. FRANCISCI,
AMORI ORDINIS,
PIETATI ITEM LOCI HVIVS,
I. LIPSIVS FRAGILE MONVM.
SED FIDO AFFECTV
P. C.
A. ∞ .15 CVI.

IV.

POSTERITATI.

IMP. RODOLPHVS II. CÆS. GERM. P. F. AVG.
Cùm Baronatum hunc veterē auo & bello
lapium attritumque audiret,
Vt is in pristinum splendorem dignitatemq;
posset restitui:

HERMANNO DE LYNDEN
Domino horum locorum & Baroni
benignè & firmiter Electorum Imperato-
rum interuentu

concessit indulfitque,
Vti Baronatus hic de RECHEM & quic-
quid iurium ei adheret feudo masculino
commune fieret, & ad heredes vtriusq;
Sexus transiret.

Tum etiam ut omnia iura regalia,
 immunitates, priuilegia,
 Si qua vetustas, vis, fraus deleuisset,
 oppressisset, inuertisset,
 ea omnia restituerentur, redderentur,
 Vti quo optimo iure, ante fuissent.
 Ob hæc indulta beneficia cæsarea excitatus.
 Idem HERMANNVS. DE LYNDEN
 hanc arcem labentem aut lapsam
 ex ouali in meliorem maioremq; hanc for-
 mam redegit, exstruxit, à fundamentis in-
 nouauit cum mesaulis, hypæthris & ad-
 iunctis ædificijs.

P O S T E R I T A S,

Hoc scire te voluit, & quisquis hæc leges.
 Anno Domini. ∞ . 10 . XCVII.

V.

L O V A N I I

In ædibus Lipsianis.
 Tres canes ad viuum depicti
 cum hac epigraphe

SAPHYRVS CATELLVS, GEN-
 TE BATAVVS. CORPORE AL-
 BET, CAPITE AVRIBVSQVE
 PURPURAT, DISCRIMINE TA-
 MEN ALBO A SUMMO EO, IN-
 TER AVRES, CVNEATIM AD
 OS DESCENDENTE. SENE-
 CIO,

CIO NVNC EST, ET TREDECEN-
NIS: CVM IN FLORE, PVL-
CHERRIMVSET LEPIDISSI-
MVS. CATVLORVM.

GEMMA dedit nomen. sum verò gemma:
catellum.

Quotquot terrā habuit Belgica, habebit,
habet.

Tale decus vultus, talis venus: adde lepores:
Ingenij humanam qui sapiant Genium.
Et sanè est aliquid mi hominis. Vis argu-
mentum?

Vina bibo, & vino nata me habet po-
dagra.

MOPSVLVS CATVLVS, DOMO
ANTVERPIA, DONVM A CL.
V. ARNOLDO BORCOVTIO,
AMICO VETERI, ET Ito. IS
CORPORE ALBET, CAPITE,
AVRIBVS, ATQVE ALTERO
OCVLO SVFFLAVIS. ROSTRVM
E RVBRO ALBICAT, BREVE
ET OBTVSVM, ET NARE
PRORSVS REPANDA. CRAS-
SVLVS, ARGVTVS, MORDAX,
EST ÆTATE BIMVS.

MOPSVLVS ast ego sum, domini con-
uiuia: quid ultra?

En etiam lectum participo domini.

Estne:

Estne aliud ? domini dominus , si dicere
fas est:

Vsq; ad cõ formę huic iungitur improbitas.
Sed formę, quę rara cluet. si examine iusto
Pendor , quod nec ames est mihi , plus
quod ames.

MOPSVS CANIS , GENTE SCO-
TVS , COLORE CRASSO SPA-
DICEO ; SED CIRCA ORAS AV-
RIVM , ET IN IPSO ORE , DILV-
TIVS FLAVO . SVPER OCVLVM
VTRVMQVE ORBICVLI Æ-
QVALES DVO , ITIDEM FLAVI .
IDEM COLOR IN PEDIBVS IN-
TERIORIBVS , INTRA FEMO-
RA , SVB CAVDA , ET IN ANO .
AT PECTVS LATVM ET HO-
NESTVM , PANTHERINA PRORSVS
SPECIE , ALBVM ET MACVLIS
SPADICEIS SPARSVM . TALES IPSI
IMI PEDES . ANNUM AGIT
TERTIVM , AD INVIDIAM
PVLCHER .

MOPSVS ego, formã qui vinco secla canina,
Quod nolim, in magno corpore nil habeo.
Quodque velim dominum, dominam, an-
cillamq; volentes

Conciliat probitas, simplicitasque mihi.
Ille canis redeat, meruit qui cœlica templa:
Si certet, terra hunc, me sibi cœlũ habeat.

IN AD-

VI.

IN ADVENTVM SERENISS.

BELGI PRINCIPVM

ALBERTI & ISABELLÆ,

ad portæ ingressum

∞ .IO. XCIX. VIII. Kal. Decemb.

Octavianii augusti in urbem aduentu,
 Corona Iridis specie circa solem apparuit,

Nouæ potentie,

Nouæ pacis auspicium.

Hanc vobis, O Principes nostri,

S. P. Q. Louaniensis

In ipso ingressu dedicat,

Nouæ potentie,

Nouæ pacis auspicium.

Sol vobis ab Hesperia fulsit,

Circa eum & ab eo corona

Prouincijs variegata, Iridis specie refulsit.

O frustra, firmaque ista sint?

Et tu ille vtrumque orbem,

Vos isti nostram Belgicam

Salutari luce persuadite,

Vitam & vigorem reddite,

Heu bellis ciuilibus amissum.

Deus & superi vota nostra audite,

Vos Principes obsequia admittite,

Quæ fideliter & æternum defert

S. P. Q. Louaniensis,

ANTE

VII.

ANTE D. PETRI PROPY-
LEVM.

Arctius atque hedera procera astringitur
ilex.

Lentis adhærens brachijs;
Nos ALBERTE, tibi que, tibi que, ISA-
BELLA, ligamur
Belgæ perennanti fide.

VII.

IN ARCV TRIVMPHALI AD
LÆVAM DOMVS SENATORIÆ.

BRABANTIA prima prouinciarum,
In triplici suo ordine,
Antistitum, Nobilium, Ciuium,
Serenissimos potentissimosq; Principes
ALBERTVM. ET ISABELLAM duces
suos

Lætâ fronte suscipit,
Deuotâ mente suspicit,
Et fidem obsequiumque
More & candore maiorum
Æternùm fouet.

VIII.

IBIDEM.

AD ALBERTVM.

Cæsarea de stirpe genus, virtutibus ipsam
Qui.

Qui stirpem superas, lætusque volensque
venito:

Suscipe Belgica sceptrā arcāni mūnera fati,
Suscipe, & æterno populos vt fœdere firmes.
Accipe daque fidem, dea cana hæc alligat
orbem.

IX.

AD ISABELLAM

Quæ cæleste decus generis cælestibus æ-
quas

Moribus aut superas, sidus quod splendet
in orbe

Occiduo, radijs tu nostras pelle tenebras:

Da pacem sexus pacate, & Belgica regna

Suscipiens, serò ad seros trāsmitte nepotes.

X.

ANTE D. QUINTINI PORTAM

INTERIOREM.

Serenissimi Principes,

Andromeda Cephei & Cassiopeæ filia:

forma & annis florentissima,

ob maternam iactantiam

In scopulo alligata ceto exponitur,

Sui impos, spei expers.

Perseus Iouis progenies,

Pegaso alato vectus,

Harpe adamantina armatus,

Scuto Gorgoneo munitus,

Orci galea tectus,

Atque:

234 INSCRIPTIONES PBLICÆ
Atq; hæc omnia consilio vel auxilio Miner-
uæ:

Adest, miseratur, subuenit,
Monstrum Pegasi ope occidit,
Andromedam toro sibi iungit,
Et cum læta lætam ætatem agit,
Liberis nepotibusque felix.

At BELGICA hæc vestra Andromeda est,
Fortunâ & opibus olim florentissima,
Nunc ob maiorum superbiam & luxum
Maximis fluctibus & monstris exposita,
Sui impositæ, spei expers.

Tu, ALBERTE, Cæsarum progenies,
Hesperio Pegaso subuectus,
Harpe militiæ armatus,
Scuto pietatis munitus,
Galea prudentiæ tectus.

Atque hæc omnia consilio vel auxilio tuæ
Mineræ.

Ades, miseraris, subuenis.
Monstra Pegasi ope submoues,
BELGICAM sub ditione tuam habes.
Cum læta igitur lætam ætatem age,
Liberis nepotibusque felix.

Quod apprecatur & suspirat
Sacra deuotione vester
S. P. Q. Louaniensis.



EPITAPHIA.

I.

Q Vis tumulus? DEINI. quæ circum hæc
agmina? Musæ.

Quæ mulier? puris Simpliçitas manibus.
Qui corpus? Charites. animum finxere? Lepo-
pores.

Quis dedit. in cineres tot bona? Parca
dedit. (res,
Musæ, Simpliçitas, Charites, lugere Lepo-
Mortuus est vestro DEINIVS exitio.

MEMORIÆ SACRVM.

A. DEINIO. N. VIRI CLARISSIMI. F.
I. SECVNDI. POETÆ. VNICI.
COGNATO
MORIBVS SANCTISSIMIS. ET
INGENIO. SVpra. HOMINEM
PRÆDITO,
AD. LITTERARVM. LAVDEM. NATO
HARVNDEM. ÆTERNO. DAMNO
DENATO

IvstvS Lipsivs
AMORIS ET AMICITIÆ C.
HVNC. TITVLVM ET TVMVLVM. P.
HVIC. MON. SIVE SEPVLCRVM.
EST. D. M. A.
HOSPES. MANES. MEOS. NE. LÆDE.
VIVOS. LÆSI NEMINEM.
S. T. T. L.

IN

II.

IN COLLEGI DALENSIS SIVE
ANTVERPIENSIS SACELLO.
Louanij.

D. O. M.

ET

P. M.

R. viri PETRI VAN DALE, Arnoldi F.
I. C. Decani Aloftensis, Canonici AntuERP.
Toparchæ in Ballaer, Ghestele, Pulle, Beer-
fele,

Qui in lauta re & supra priuatum modū,
modestè, prouidè, piè, ea vsus,
Collegium hoc instituit, vectigalibus in-
struxit,
alendæ in B. P. iuuentuti.

Natus AntuERP. ann. MD. IX. IV. Ibidem
obijt anno MD. LXXXII.

Hic monumentum habet, ossibus
eius voluntate translatis.

Vt anima eius in beatas sedes,
tu apprecare piè Lector.

III.

IN D. GVDVLÆ. Bruxellis.

D. O. M. SACR.

ET MEM. V. N. ET CL.

NICOLAI MICAVLT, Equitis Aurati,
Inde-

Indeueldæ, Doirpæ, Hussingæ &c. Domini, Præfectique in Binchio hereditarij, Nati Bruxellæ An. ∞ .10. XIX. XV. Kal. Octob.

PATRE Ioanne Oisterstemij Domino, Equiti Aur. & velleris aurei Thesaurario, atque ærarij Regij Quæstore.

Ipse NICOLAUS indole & studijs ad Virtutem Prudentiamque factus, CAROLO V. Imp. & PHILIPPO II. Regi Catholico in sanctiore Concilio a consilijs ab A. ∞ .10. LIV. fuit.

MOX & MARIÆ laudatissimæ Reginae Hungariæ, CAROLL. fororî, priuatus & domesticus Consiliarius;

Proque ea & Regina ELEONORA Regg. Galliæ & Lusitaniæ vidua.

Legatione bene & feliciter in Lusitaniam functus.

Classibus instruendis, com meatibus apparandis, alijsque muneribus variè præfectus,

In omnibus laudem Prudentiæ, Probitatis, Fidei adhibuit & retulit;

Donec diutino marcore à terrenis Regibus ad cælestem abiit

A. ∞ .10. LXXXIX. XVII. Kal. Septemb.

Itemque memoriæ

MARIÆ BOISOT Petri filiæ,

Qui Rouuæ, Doirpæ, Hussingæ &c. Dominus fuit, & eques Auratus aureiq; velleris & ærarij Regij Thesaurarius.

Ipfa

Ipsa nata est Bruxel. A. ∞ .IO. LXXIX. IIX. Id.
Mart.

Suauiter & concorditer cum marito vixit,
& XIV. ei liberos dedit.

Obijt v. Kal. Iul. A. ∞ .IO. LXXIX.

Optimis parentibus

Hoc monumentū quinq; superstites liberi
deuincti Parentum meritis PP.

cum lacrumis & votis.

Fuere, Lector, hi quod es,

Et mox quod hi sunt, ipse eris:

O dura sors mortalium!

hæc parca parcat nemini.

O cecitas mortalium!

hæc cura tangit pauculos.

Te tangat, ô, te, si sapias:

Mori ante mortem cogita.

Piè appreciate isthic sitis,

Precentur alij sic tibi.

IV.

FRANCISCI MARTINI. Neapoli.

Heus oculo errante qui loci res qua hæc aspicias,

Consistere hîc te paullulum Musæ iubent:

MARTINIVS ille flos iuuenum quot fuerût,

Quot nûc sunt, quot futuris erût in seculis,

Doctus, eruditus ipso in Musarum sinu,

Istic reliquias deposuit corporis.

Lugete Musæ Latij, & Musæ Gallix,

Et quidquid vsquam est hominum qui
Musas amant,

Vester ille Vates & vestri chori decus

Floren-

Florente cum auro Famæ curtū ascenderet,
 Morte captus abiit hūc in commune locū.
 Sic DI voluistis, homines nullius preti,
 Bucos, blennones vitam vitales frui.
 Vates ferè ante vitam vita interfici.

V.

IN D. MARIÆ. Antuerpiæ.

D. O. M. S.

CHRISTOPHORO PLANTINO Turonensi,
 cui & incolæ Antuerpiano,
 Architypographo Regio,
 Pietate, prudētia, acrimonia ingenī magna,
 CONSTANTIA AC LABORE maximo;
 cuius industriâ atque operâ
 infinita operâ, vetera, noua,
 magno & huius & futuri seculo bono in
 lucem prodierunt:

IOANNA RIVIERA cōiux & liberi heredesq;
 illa opt. viro, hi parenti
 mœsti posuerunt.

Tu qui transis & hæc legis, bonis manibus
 benè precare.

Vixit ann. LXXV, Desit hîc viuere
 Kalend. Quintil.

Anno Christi clō. Id. xxxix.

VI.

Hagæ Comitatis, in templo primario

H. S. E.

Vir nobilis & clariss.

HADRIAN. MYLIVS Arnoldi F. Dordracenus
 Iuris

Iuris scientiâ & titulo eximius:
 Varia prudentia præditus, & ad varias
 dignitates euectus,
 ijsque cum sua laude & bono publico fun-
 ctus:

Confiliarius in Curia Bataviæ;
 & in ea denique PRÆSES;
 Vigilans, incorruptus & Verus
 Iustitiæ Antistes,

Qui omni vitâ laudabiliter actâ, subitò
 obiit XVI. Kal. Iul. An. Chr. ∞. MDXC.
 vixit ann. LII.

LECTOR ET PATRIA DOLETE.

VII.

IN AVGERI GISLENI BVSBEQVI
 tristem mortem & situm.

AVGERIVS istic est situs BVSBEQVIVS.
 Quis ille? quem virtutis & prudentiæ,
 Habuere carum, gratiâ, ipsi Cæsares.
 Hunc aula eorum vidit, aula & extera
 Asiæ Tyranni. quæ viri felicitas?
 Probavit hæc & illa: in omni tempore,
 In munere omni, Nestorem se præbuit
 Linguâ atque mente. Iam quies eum sibi,
 Et patria hæc spõdebat: ecce (A. MD. MD. XCII.)
 sustulit

Viam per ipsam miles, incertum an latro.
 Sed sustulit, simulque fidus Belgicæ,

Quod

Quod nunc choreas fulget inter astricas.

I. L I P S I V S magno amico
exiguum montimentum P o s.

VIII.

IND. GEORGĪ. Antuetpiæ.

PIÆ MEMORIÆ DICATVM.

Viator heus resiste, rem tuam loquar,
Aut id quod esse non neges in rem tuam:
De morte sermo est, mortuisque. Cogita
Et hoc tibi fore. Serio si cogitas,
In rem tuam, quod esse dixeram, tenes,
Et melior hinc abiueris, quam veneras.

FRANCISCVS SWEERTIVS
GERTRVDI VAN OS VXORI
OPT. CARIS. POS. DEIN ET
SIBI, NEC NON VXORI SE-
CVNDÆ ISABELLÆ DE SOR-
BRVECQ. VT QVISQ. AD MÈ-
TAM VENERIT. SEDET
FILIIS POSTERISQ. SVIS,

Nam longus ordo est. Hos & illos subsequi
Lex summa iussit. Fata quis homo vicerit?
Quæ non timere si voles, semper time.

MISERATOR DEVS MISERERE.

Obijt GERTRVDIS A. CIÖ. IO. XCIV. XII.
Kal. Nouemb.

Obijt FRANCISCVS A. CIÖ. IO. CXV. VII.
Kal. Nouemb.

Obijt ISABELLA.

IX.

IN D. PETRI. Louanij.

MEMORIÆ SACRVM.

IOANNES WAMESIUS H. S. E.

Quem breuiter Lector nosce

Natus Leodici Eburonum An. ∞ .IO. XXIV.

Ad studia inde Iuris transiit,

In ijs quoq; famam adeptus, etiam Græcis,

Naturâ & Industriâ duce.

At in Iure ad culmen ipsum conscendit.

Doctor renunciatus A. ∞ .IO. LIII.

Publicè Profess. in hac schola A. ∞ .IO. LVI.

Deniq; primarius antecessor A. ∞ .IO. LXX.

Hoc munus cum laude Ann. xx. obiit.

Primoribus gratus, vulgo venerabilis,
omnibus carus.Breuiter doctrinâ, prudentiâ, auctoritate
inter æui sui primos.

Obiit diutinâ inualetudine A. ∞ .IO. XC.

xi. Kal. Sextil.

*Iste vir fuit, Lector, sed fuit,**Tu quoque quod es, non eris.**Alius alias, sed omnes huc imus.**Cogita, & huic bene apprecare,**Ita posteri tibi.*

MAGNE DEVS

ipsi & nobis miserere.

Heredd. P. P.IN D.

X.

IN D. RVMOLDI Mechliniæ.

D. O. M.

Nobili ac strenuo Viro,

CATERINO WYTS,

Leg. Burgund. in regia militia Centurioni,

Qui apud Andriam in præsidio,

dum animosè in hostem lacessentem

equo erumpit,

Solutus à pluribus circumuentus,

aduersus resistensque cæditur,

glande plumbeâ caput traiectus,

sed sic quoque, nec ensen nisi mortuus,

& extortum demisit.

Cecidit ætatis suæ A. XXIX. Ch. ∞ .IO. XCVII.

Non. Martij.

Pijssimo filio parentes, heu, mæsti & super-
stites

P. P. cenotaphium circa cineres Maiorum.

XI.

AD CARMELITAS. Bruxellis.

PIÆ MEMORIÆ

S A C R.

Vides sacellum hoc, Lector? id turbauerat

Fœdaueratque nuper impius furor,

Turbantium fœdantiumque hîc omnia.

Erant sepulti nobiles aliquot viri

EX ANGIANA stirpe: quos beauerat

Et dignitate & opibus infimul DEVS.
 Atque hi vicissim, quicquid hoc erat, DEO
 Construxerant ornauerantque. at barbari
 Nec hos reueriti iam quietos, nec DEVM,
 Euellerant disiecerantque hæc omnia.
 Sed non tulit, qui stirpis eiusdem cluet
 Eques IACOBVS ANGIANVS, IS DEO
 Cultum reposuit, & decus maioribus,
 Impendio suo pte. macte vir ingeni,
 Deprædicande nunc, beande postea,
 Cum cæles inter cælites eris tuos.
*His omnibus, Lector, fauentiam exhibe,
 Et vota pro quiete eorum suscipe.*

XII

IN D. MICHAELIS. Antuerpiæ.

ABRAHAMI ORTELIJ,

Quem vrbs vrbiū ANTVERPIA edidit,
 Rex Regum PHILIPPVS Geographum
 habuit,

Monumentum hic vides.

Breuis terra eum capit

Qui ipse orbem terrarum cepit,

Stilo & tabulis illustravit,

Sed mente contempsit;

qua cælum & alta suspexit.

Constans aduersum spes aut merus.

Amicitia cultor, candore, fide, officijs,

Quietis cultor, sine lite, vxore, prole,

Vitam habuit, quale alius votum.

Vt nunc quoque æterna ei quies sit,

Votis faue Lector.

Obijt IV. Kal. Iulij, CIÖ. IO. XCIIIX.

Vixit ann. LXXI. Mens. II. Dies IIXX.

COLII ex sorore nepotes

B. M. POSS.

ALIVD.

Viator pauca hæc lege.

ABRAHAMVS ORTELIVS H. S. S.

Patria mihi & domus hæc vrbs fuit.

Titulus & munus Geographus Regius.

Dum vixi, vidi vtramq; fortunam publicã,

sed vultu eodem:

meam propriam, vno animo & statu,

modicus rei & spei,

facilem placidamq; mihi feci.

Quam nunc terram colo, viuis ite excolui

manu, radio, colore:

sed mente contempsi.

Fatalem meam metam sine metu adiui,

cum vixissem ann. LXXI. MEN. II. D. XVIII.

Mors obrepit A. ∞. IO. XCIIIX. IV. Kal. Iulij.

Tu bone bonum votum adde,

& olim quieto quietem æternam

apprecare.

XIII.

IN ÆDE PRIMARIA, VIRGINI

VIRGINVM SACR. Antuerpiæ

D. O. M. SACRVM

& bonæ memoriæ

CORNELII PRVNII Antuerpiensis,
Arnoldi ex Maria Bombergæ filij,
Cui viro pleraque laudis & Voti
eximie contigerunt:

Probitas, prudentia, doctrina, opes,
Sine fraude, sine vanitate hæc habuit,
publicè priuatimq, exhibuit.

A thesauris huius opidi sapius,
Itemque in Senatu sapius.

Omnibus profuit

Officio, beneficio, consilio, exemplo.
Tu lector illi, & benè precare mortuo.

Vixit ann. LXV. obiit viii. Kal. April.
c10. 10. xcviii.

Heres & cognatus auunculo M. P.
ARNOLDVS DE CORDES.

XIV.

IBIDEM.

DEO SACRVM,

Et memoriæ HADRIANI TACQVETI,

Viri à stirpe nobilis,
moribus ad probitatem,
ingenio ad modestiam facti:

qui in re ampla & lauta cum omnium
laude vel gratia

Vixit ann. LXXVI. honestè tranquilleque.

Obijt xvii. Kal. Mart. A. c10. 10. 10.

Liberi vi. vtriusque sexus superstites
optimo & meritiss. Parenti
ipfi mœrentes PP.

*Viator, adde vota, & hanc tibi
Qui scis eundam praeenti, huic faue.*

XV.

IN D. ANDREÆ. Antuerpiæ.
ÆVITERNITATI. S.

Monumentum hoc habet

CORNELIVM VAN ECKEREN

Equitem Hierosolymitanum,
Monetæ Regiæ Præfectum & Curatorem:
Quæ munia integrè & cum laude obiit,
Atque ipse obiit An. Christi MD. LIX.
Ætatis suæ LXXII.

Habet &

ROBERTVM VAN ECKEREN

Cornelij sanguine & Virtute Fil.
qui Præfectus item monetæ,
& vrbi ab eleemosynis,
Ut famâ sic æuo compar Patri.
Obiit anno ætatis suæ LXXII.
Christi M. D. XCIX.

*Precare Lector, quod precari alios
Tibi preceris, istic si sis.*

XVI.

IN S. MARIA DE ANIMA. Romæ.
D. O. M. S.

FRANCISCVS ORANVS FRANC. F.
Leodiens. Patrit.

in hac arce terrarum S. E.

eam per annos plures incoluit,
 atq; ipsa eum coluit
 in Duodecimvirali Rota Senatorem:
 quod munus ann. xvii. sustinuit
 cum qua peritia, integritate & laude?
 ipsam roga:
 fama communis non mentitur.
 Inclaruit & legatione duplici in Germa-
 niam
 super arduis rebus,
 & potuit dignitatibus adijcere,
 sed mors manum iniicit
 nondum maturo & nato annos LIV.
 non sine publico sensu,
 & parentis fratrumque luctu,
 qui absentes monumentum hoc
 opt. mer. PP.

Obijt xiv. Kal. Aug. An. ∞ .IO. XCIX.
*Habes, abito, aut paululum etiam sistito:
 Ore atq; corde bene precare mortuo.*

XVII.

IN S. SPIRITVS MONASTERIO.

Luxemburgi.

D. O. M.

SACR.

Viator, etsi properas, vt firmes gradum
 Pij precantur Manes. Hic primum iacet
 DOROTHEA stirpe nobili MANSFELDICA,
 Ernesto patre nata, Luxemburgici
 Moderator & Prefectus qui fuit soli,
 Denique post & Belgici Prorex soli.

Matrona casta, prudens, liberorum amans,
 Verens mariti. Quidquid in bona potest
 Conforte dici, dictum de ista puta.
 Matrus huic FRANCISCVS È VERDVGIIS
 Iberica stirpe. is prima ab adolescentia
 Regi minister in pace & bello fuit;
 Dum Mars perurit Belgicam ciuilibus
 Flammis, Moderator ipse Frisiae datus
 Transisaniaeque; pugnas inclytas
 Pugnans, atque vicit. Plura dicere
 Annales libri poterunt, quos, lector, roga,
 Itemq; politis hic, veniam & pacem roga.

CONIUGI ET SIBI
 FRANCISCVS VERDVGIVS POS.

XVIII.

IN SACELLO REGVM FRANCIAE,
 AD. D. SERVATII. Traiecti ad Mosam.

M E M O R I Æ.

&

CAROLO RICHARDOTO

magni illius RICHARDOTI

Princip. P. Q. voto

cum potestate, fide, fama, max.
 sanctioris concilij Præsidis

Filio.

magnæ spei adulescenti,
 paternarum virtutum heredi:

qui

ob raram indolem,
 ad mercatum bonarum artium

L 5.

Tra-

EPITAPHIA

Traiectum missus;
 speratae virtutis documenta
 Cotidiè exhibebat,
 sed,
 ô infortunium!

lex fati intempestiva & ineuitabilis,
 inter adulescentiae primordia,
 continuis calculi doloribus
 grauiet afflictum,

&

iam tertio sed frustra incisum,
 ter quintum aetatis annum
 necdum ingressum
 absumpsit

Anno clō. Id. c. iiii. Nouemb.

BENE PRECARE.

XVIII.

AD CARMELITAS. Brugis Flandrorum.
 DEO. OPT. MAX.

H. S. E. CASPAR ZAPENA, gente Hispanus,
 stirpe nobilis, manu & consilio bonus.
 Militia multiplex eum vidit per varios suos
 gradus promotum ad Tribunatum,
 & mox a Rege Philippo III. Praefectum A-
 lexandriae apud Insubres destinatum;
 quod manus nisi animo non cepit,
 morte interceptus tristi ad Oceanum pu-
 gnâ,

Vbi solus panis auctor non pugnandi;

Scu-

Sententijs & publico fato victus,
 robore & animo inuictus;
 fortiter pugnans, vulneribus confectus,
 captus:

denique Ostendæ obiit piè & Christianè
 Non. Sextil. A. c. l. o. 130.
 cum vixisset ann. XLIV.

Hic in omni munere
 Suis amori, hostibus terrori fuit,
 Liberalis, magnanimus, prudens.
Togate Lector, bene precare mortuo.
Sagate Lector, & imitare mortuum.

XIX.

IN ÆDE PRIMARIA. Louanij.

D. O. M.

Pictore patre natus hîc iacet puer,
 Opusque patris est; quod vides, & nō vides.
 Res quæ fuit, non est, sed umbra istæc ma-
 net.

Res ipsa quinque spatia Solis egerat,
 Cum DEVS ab ista luce ad æternam vocat.
 O vita breuis! Ô BVLLA HOMO! si cogitas,
 Tu breuia sperne, anhela ad immortalia.

IODOCVS VANDER BAREN mœstus Pater
 Affectus & artis suæ hoc specimen posuit,

DANIELI SVAVISSIMO FILIO,

Qui obiit XII. Kal. Iunias ∞ .130.
 Cum vixisset ann. V. menses circiter V.

HVC PRIMVS ET VLTIMVS ORDO.

XX.

IN ÆDE CATHEDRALI Antuerpiæ.
D. O. M. S.

Mortalis audi pauca verba mortuæ.

Ego MARIA sum DECRERIA nata An-
tuerpiæ,

Sed me Religio misit hinc Coloniam,

Illic maritum MICHAELUM BOOTIVM.

DEVS dedisti, in patriam rediimus,

Annos quaternos & decem. vnâ viximus.

Sex liberos dedi, datos mors abstulit,

Et me quoque ipsam in patione sustulit.

Placui marito, ad finibusque & ciuibus,

Industriâ domi & foris modestiâ.

DEO placere cura nunc vna est: iuua

Mortalis ô votis tuis me mortuam.

POSVIT LECTISSIMÆ FÆMINÆ

ET DILECTISSIMÆ, HEV, VXORI

MICHAEL BOOT, HVIC VRBI

QVONDAM AB ELEMOSYNIS.

Vixit illa annos xxxiii. obiit anno

cio. iocj. Non. Nouemb.

XXI.

IBIDEM.

PIETATI ET POSTERITATI.

Duos fratres hoc monumentum habet,

ARNOLDVM ET IACOBVM DE CORDES,

nobili stirpe è Neruijs oriundos,

Sed.

Sed in hac urbe ortos,

Patre IOANNE DE CORDES.

Matre ISABELLA PRVENEN.

Ille viuere desit XVI. Kal Iunij. 60. 1601.

Annos natus LI.

Iste XVIII. Kal. Decemb. eiusdem sæculi,

Annos natus L.

Mæstus frater IOANNES DE CORDES:

Sepulchro aui ARNOLDI PRVENEN intulit.

Virtuti & studijs operati,

Moribus & ingenio suaues,

Semper vixere cœlibes.

Vt nunc cœlites.

Voue mecum bone Lector.

XXII.

IN ÆDE PRIMARIA.

Traiecti ad Mosam.

D. O. M. & M. E. M. S.

*Ita Lector, è re tua est. habe compendio,
Quem gaudeas fuisse, sed illa crumes fuisse.*

H. S. E.

HIERONYMVS AB EYNATTEN VIUENS:

Huiusce Can. Coll. Decanus, huiusce

Cleri Archipresbyter, mortuus

Desiderium vtriusque. qui superstes.

Gaudium extitit plurimorum,

Functus dolor omnium: qui breuiter

Nulli grauis, nulli malus, cuiq; ad votum.

Quem sui semper coluerunt vnicè,

Qui suos semper excoluit vnicè.

SPARTAM, QUÆ CONTIGIT, ORNAVIT.
 VIRTUTE integrâ, à Patre, ab Auo, à maioribus,

EXEMPLO candido, sine fraude, fuce, lite:
 ZELO indies commendatiore, notâ indies meliore.

DEVS STITIT, SPECVLO DEDIT.

Quem ultra, proh! colere nequit officijs,
 Eidem in pijssimi doloris testeram

CENOTAPHIVM QVOD VIDES
 REYNERVS FL. GERMANVS
 ponit eum lacrumis.

Obijt xxii. Septemb.

A. clō. lō. cii.

XXIII.

AD FRANCISCANOS. Syluæ ducis.
 POSTERITATI.

FRANCISCVM DE AGVILAR
 ALVARADO V. N.

hoc monumentum habet,

quem

Torum Castellæ opidū edidit V. Non. Oct.

∞. lō. xxiii.

Imp. Cæsari CAROLO V.

strenuum militem,

PHILIPPO II. Regi Catholico

Centurionem, Tribunum, Gubernatorem

Duynkerkanum,

Virtute, Prouidentia, Constantiâ constantē:

Animi & corporis fortitudine

Supra fidem pro fide insignem.

Sed

Sed & PHILIPPO III. ac BelgI Principp-
à consilijs militaribus,

cui deniq;

quod fortem & prudentem decuit

contigit in actu mori,

Nempe in castris pro ista vrbe II. Kal. No-
uembris. ∞. DC. III.

Qui diu vixit & malè, non diu vixit, sed fuit.

Qui parū vixit & benè, non diu fuit, sed vixit.

*At qui diu benè vixit, an non vitā dignus al-
terā?*

Istud cogita, Lector, & hoc iacenti voue.

sic posteritas tibi.

ELVIRA DE VALENTIA Brugensis, marito
(heu quondam suo) amoris & mœroris
monumentum P. C.

XXIV.

IN B. MARIÆ. Antuerpiæ.

BEATRICI RAMPARTIÆ NIC. F.
fœminæ lectissimæ,

LATA IN DEVM pietate,

coniugem, lberosque amore,

in quinctæ filix partu raptæ,

& ad vitam meliorem traductæ.

PAVLVS MECHELMANVS I. C.

Regi à consilijs, Iudexq; militaris,

laudabilin coniugem memoriâ,

niçstus cum lacrymis

ipsi sibi suisque pon. cur.

Vixit illa an. xxxiii. in coniugio IX.

Obijt anno orbis redempti 1610. cccc.

A. D. XIII. Kal. Iunias.

*Vesit BEATRICI beatè te rogo
Rogare Lector, & marito & liberis.*

XXV.

IBIDEM.

D. O. M.

Sepulchrum hic vides
Magn. viri IOANNIS VAN HOVE,
qui inter primarios ciues,
Pietate & alia Virtute eminuit.
Ab eleemosynis huic vrbi fuit,
id munus optimè obiuit.
Vxores habuit MARIAM VANDE CRUYCE,
moribus & ingenio clectam,
& ex ea quinque liberos,
Obijtque III. Non. Sept. An. ∞ . 10 . LXXIII.
Iterumq; MARIAM VAN SANTFORT,
sed sine prole,
singularis exempli foeminam,
quæ & liberos mariti sui heredes
instruit.
Obijt postridie Non. Decemb. ∞ . 10 . CIII.
At ille vt in vita, sic in morte
tranquillus,
Obijt xv. Kal. Iul. ∞ . 10 . CI.
Filij & heredes mœsti PP.

*Vides ista Lector, cogita, & quod est Caput
Morti parare & bene precare mortuis.*

ALIVD

ALIVD

Quis hic sepultus est? IOANNES HOVIVS,
 Astirpe honestus, moribus probus, grauis.
 E merce rem quaesuit, & negotijs
 Terrâ marique rem quoque auxit, vsus est
 Auctâ benignè, praefuit ELEMOSYNIS,
 Quod munus vrbe in hac habet primariū,
 Nec admouentur nisi viri primarij.
 Maritus idem bis fuit: sed liberos
 Tulit ex sua priore tantum, iam tenes
 Quis hîc sepultus, ipse quid? preces rogat
 Suae quieti impendier. Fac & VALE.

XXVL

IND. PAULI TEMPLO. Coloniae.

D. O. M.

ET

MEMORIAE

ARNOLDI MYLII Typographi &

Senatoris in hac veteri vrbe,

illius diligentissimi, huius integerrimi:

Quod vtrumque Fama & Fauor publicus:

asserunt, afferentque,

Præmium hîc virtuti;

Quod in superis etiam locis habere

speramus, vouemus.

Tu nobiscum, bone Lector.

Obijt lethargo xv. Kal. Decembris

Anno. ∞ .1064.

Ætatis suæ LXIV. Mens. 1.

Libertini

Liberi mæsti posuerunt
optimo, heu, parenti.

XXVII.

IN D. MARIE. Antuerpiæ.

D. O. M. SACR.

Situs hîc est PETRUS LEMESVREVR,
Valentianus, à moribus, & vitæ probitate,
in rebus industria, à fide in Deum & RE-
gem laudabilis,

Qui turbidis rebus cedere vrbe, quam fle-
ctere leuiter in illa maluit, & Coloniam
iuit.

Reuersus, Eleemosynis publicis fideliter
præfuit.

Cum MARIA GODIN coniuge, lecta ma-
trona, annos XL. concorditer vixit:

Liberos XIII. ex ea tulit, IX. moriens re-
liquit.

Mortuus est autem XVII. Kal. Octob. ann.
cLo. lXXciii.

Liberi mæsti posuerunt.

Heu qui legis, pacem precare mortuo.

XXVIII.

(iacere

DOVZA meus iacet hic. tecum mi DOVZA
Candorem & Musas ingenuè fateor.

XXIX.

IN D. PETRI. Louanij.

D. O. M.

Heu flos iuuenum quomodo abijsti
præcipiti fato?

Antuer-

Antuerpia genuerat, stirpe nobili,
indole eximiâ:

Loaniam rapuit, studiorum in cursu,
sed cœlo reddidit, cœlo dignum.

IOANNI TVCHERO fil.
mœstus parens pos.

Obijt ix. Octob. A. ∞ .10 CV.

Annos natus XIX.

O vita, longa ualibus, bonis breuis!

X X X.

IN TEMPLO PRIMARIO. Greuelingæ.

D. O. M. SACR.

H. S. E. VALENTINVS DE

PARDIEV V. N.

& famâ inclytus,

Toparcha dela Motte, Eeckelsbeke atq; a-

libi. S. Iacobi Eques Cômendator in Stepa.

Philippo II. Cathol. Regi à consiliis mili-

tiæ, Regijq; exercitus armamêtario & ma-

chitis Præf. XII. Centuriar. ex Gallo belgis

Chiliarcha, huius opidi arcisque per annos

xxv. Gubernator. Obijt anno Chri. ∞ .10

xcv. Idib. Iuli. Vixit A. LXXV. M. III. D. XIII.

BONO BONVS BENE PRECARE.

ADLECTOREM SPECTATOREMVE.

Paulisper hospes siste, ne quis sim uide.

Hon fata! quis sim, quis fui, uide ac abi.

Mi nomen omen per Deum Valens dedit.

Magni PHILIPPI Regis & domi & foris

Affertum ego iui iura mente uel manu,

Sub

Sub Austrio IOANNE, sub FARNESIO.
 Sub Austrio ERNESTO grauia feci & tulit
 Bis quinquies traiectus, hinc dextram ad
 S L V S A M

Emissa ab ictu brachium amitto globi.
 HVLVM oppidum loco, arce munitissimum,
 Bis quinque; cinctus millium armatâ manu.
 Supremus Imperator hisce copijs,
 Sub Ius redegi Principis priscum sui.
 DOVRLENIAM arcem hinc vidimus, sed
 vidimus

LVMEN QVE læuum HIC, LVMEN heu!
 quid loquor?

Quin lumen omne glande liqui plumbeâ
 Transfossus. hæc est vita, hic exitus mihi.
 Mihi ad precare Lector, & si vis abi.
 In Cattuacos, visè monumentum hîc mei
 Gymnasion ingens, arce conspicua meo:
 Ergo ad precare, Lector, & si vis, abi.

XXXI.

HECATÆ SACR.

SAPHYRVS domo Batauus
 Delicium LIPSII, Decus canum

ingenio, lepore, forma,

H. S. E.

tristi fato ereptus,

& feruentibus aquis merfus,

cum vixisset lustra plus tria.

ô heri dolor!

tuum, lector, adde,

quis-

quisquis LIPSIVM amas, imò
quisquis elegantiam, aut leporem amas,
quorum iste thesaurus erat.

abi, flores sparge,
si non lacrimas.

Plangebat & pangebatur
I. LIPSIVS olim, heu, Dominus,
V. Kal. Septemb. ∞. 1701.

DEO O. M. SACR.

Illustr. & excell. Principi ac Domino

D. CAROLO - PHILIPPO
DE CROY

S. R. Imperij Principi,
Marchioni Naurechio, Comiti Fontenaici,
libero Baroni Fenestrangij, Thiecourtij,
Buyeni, Dompmartini,
Domino Beueræ, Acronæ, Eurebechæ,
hereditario castellano Montensi, &c.

EQVITI AVREI VELLERIS,
Primo à cubiculis Regum Philippi II. &
Philippi III. Hisp. & Indiarum, Consilia-
rio status Belgici, ibidem supremo capiti
Financiarum.

Qui paternum genus à Regibus Hungariæ,
Boemiæ, Angliæ, Franciæ, atq; ipsis Imp. p.
Germaniæ: maternum autem à Regib. Hierosolymor. & Siciliæ, & à Sereniss. Lotharin-
giæ Ducibus ducit.

Patrem habuit PHILIPPVM DE CROY pri-
mum Ducem Arschotanium, qui vxore vi-
duus,

duus, secundis nuptijs iunxit sibi item vi-
duam ANNAM LOTHARINGICAM,
filiam vnicam, nuptam antea Renato Ca-
billonio Auraicæ Principi.

Patre autem quattuor paulo minus men-
sibus præmortuo, natus est ipse Bruxellæ
postumus Kal. Septembribus Anno M. D.
XLVIII.

In eadem vrbe, aula regia, rato honore
& pompa, sacro fonte ablutus est, assisten-
tibus testium & factorum parentum loco,
ipsis, sine alia suffectione, CAROLO
V. Imp. augusto, & PHILIPPO eius
filio Hispan. & Indiarum Rege, itemque
duabus Reginis Hungariæ & Franciæ vi-
duis.

A sedula & pia matre omni curâ educa-
tus, moribus primò, & mox studijs artibus-
que formatus est, Louanium ablegatus,
Præfecto & præceptore egregijs, & honestâ
familiâ ac comitatu.

Inde iuuenescens in Lotharingiam ma-
ternam patriam, mox Germaniam & Ita-
liam missus, linguas moresq; vidit, didicit,
& animum ad prudentiam vsunque rerum
variâ inspectione formauit.

Ex primoribus deinde Lotharingiæ DIA-
NAM DOMPMARTINAM, multarum & ve-
terum familiarum heredem, vxorem sibi
iunxit, ex qua VIII. proles suscepit, quat-
tuor superstites reliquit.

In armis autem & militia, ordines sæ-
pius

pius duxit, peditum equitumq; præfectus: laudem fortitudinis simul & prudentiæ peperit, maiorem pariturus, nisi infaultus sclopi ictus ab hoc instituto inuirũ & inopinantem auertisset.

At consilij & prudentiæ suæ copiam principib. & patriæ semper præstitit, sæpè in eorum absentia summæ rei præfectus, habenas peritè & feliciter tenuit.

Varias legationes in Hispaniam, Galliã, Angliam, Germaniam, in Imperij comitijs, easq; de reb. magnis fideliter, decorè, splendide semper obiuit, & ex voto sæpè finiuit.

Religionis maiorum, id est catholicæ, Apostol. Romanæ semper cultor: sceptri Hispanici & gentis Austriacæ fidus minister & cliens.

Inter virtutes, rarâ modestiæ laude, in illa quidem nobilitate: comis & communis erga omnes, beneuolus & beneficus ubi res ferret, in litteratos & eruditos animi propensi: eiusdem sinceri, candidi: in suos mitis, & subditis domini simul ac patris.

Onerum nouorum aut vectigalium fugitans, rem tamen familiarem insigni industriã & prouidentiã stabiliuit, & auxit, sine iniuria cuiusquam, imo nec querela.

Cum non omitteret tamen, inter ardua hæc temporum & bellorum ciuiliũ, principibus operam consilij assiduè exhibere, magnis impendijs & laboribus: quorum mercedè à te Deus æterne æternã expectat.

Vixit

Vixit ann. LXV. Mens. I. Diebus XXIII. obiit
M. DC. XIII. VII. Kalend. Decemb.

CAROLVS ALEXANDER
DVX CROYVS II. MARCHIO
HAVRECHIVS &c. PATRI
BENEMERENTISS. PIO
AFFECTV POSVIT.



EPITAPHIA
VARIORVM DE
IVSTO LIPSIO.

MAXÆMYLIANI VRIENTI

S. P. Q. Gandà secretis.

NEMO te lacrymis, LIPSI, neque laudi-
bus ornet:

Non lacrymę, at plausus funera sancta
decent.

Atte qui laudare volet, velut Icarus alter
Nominis Oceano mergitur ille tui.

EIVSDEM in Iusta IVSTI LIPSI.

Nemo non debet, nemo non debita IVSTO
Iusta facit, iustę nec tamen illa facit.

Quisquis enim IVSTO iusta atque decentia
iusta

Aut nunc aut olim perfoluisse putat;
 Vana putat, pompamq; diu molitus inanē,
 Non tam iustā parat, quā sibi busta
 parat.

IN IMAGINEM EIVSDEM.

Hæc LIPSI, sed non LIPSI vnus, at simul
 ipsa
 Et SENECÆ, & TACITI, viua & imago TITI.

CENOTAPHIVM.

Pan Sophiæ, os Suadæ, cor Phœbi, ROMA
 renata,
 Et denata sibi BELGICA IVSTVS ob It.

ALIVD.

Sunt Busto in Pario, sunt qui tumulantur
 eburno,
 sunt qui marmoribus, LIPSIVS in lacrymis.
 B. B.

THOMAS SEGHETVS Britannus
 Præceptori opt. merito.

Quicquid in vnum acti dederunt tibi Ro-
 ma Quirinus,
 Æmilij, Decij, Scipiadæ, Fabij:
 Quod Curius, quod Fabricius, Brutique
 dedere,
 Reddidit hoc vnus LIPSIVS omne tibi.
 Gallia te læsit stantem, sed Belga Camillus
 Collapsam in formam restituit veterem.

ADRIANI SCRIECKI RODORNI

Belgicis Principp. à Consilijs.

Moribus antiquus, scriptis nouus, ardor &
ignis

LIPSIVS ingenio, lumine stella fuit.

Isca ortum, Europa infuetum est mirata de-
corem ;

Occubitum vidit Belgica, & inde gemēs,
Sidera, ait, redeunt, non LIPSIVS: alter at
inquam

Si veniat, Phœbo clarior vnus erit.

IN NOMEN IVSTVS.

IVS carum est terris, superis TVS: nempe
ita IVSTVS

Carus erat terris, carus erat superis.

B. B.

Si laudem Pietas vllam sincera meretur
Veris suis cultoribus:

Eximiae si qua est Doctrinae gloria: doctæ
Et si qua laus Facundia:

Si summis imisq; viris placuisse, malorum
Hostem fuisse perpetem,

Est vitæ locuples testis vindexque probatæ,
Ipsis crepantibus inuidis:

Ecquis, te LIPSI, vixit felicior? ecquis
Te mortuo beatior?

Non igitur LIPSI, te lugeo, lugeo nullos
Superesse nobis LIPSIOS.

FRANCISCVS SWERTIVS amico heu!
quondam opt. max. supremum hoc
HAVE atq; VALE mœrēs meritoq; scripsi.

LIPSIVS

LIPSIVS hoc paruo tumulo iacet: haud iacet; erro,

Non ad eò exiguo claudirur ille loco.

LIPSIVS immensi factus nouus incola cæli,
Nunc lætus terras despicit & maria:

Quæq; prius mundi calamo dānarat & ore
Vana, magis ex vero vana fuisse videt.

Attamen in mœsto quid vult sibi marmore
nomen,

Quodq; illo dignū nomine carmē adest:
Nempe reformādus vitæ melioris in vsum.

Hic veteres posuit LIPSIVS exuias.

PETRVSPANTINVS ad
D. Gudulæ Bruxellis Decanus.

IVPITER infernas cum mortuus isset ad
vmbas,

Exceptit cineres maxima Creta Dei:

Mox itē patrio cum iam successit Olympo,
Iactauit cineres maxima Creta Dei:

Risit, & ex illo nil quicquam credidit orbis,
Cretaq; sic dubium cœpit habere fidem.

Tu quoque, quæ cineres & docti nomina
LIPSI,

Terra, licet Musis non aliena, tenes,

Tu quoq; docta caue, ne fias fabula: tantos
Si capit hæc homines, & capit illa Deos.

D. H. Gandensis.

AD. M. ANTONIVM BONCIARIVM
Io. Baptista Laurus.

MARCE, quod albentes hederas, Laurosq;
perosus,

Triste fleam; nebulaq; animum perfusus
inerti,

Mæstum Epos aggrediar , pallensque hæc
tempora circum

Taxus eat, læueq; sonent lugubrè Cupressi.
Accipe FVNEREAS intrātem occasibus oras,
Instar anhelantis Solis, cum fessus Iberas
Sistitur ad portas , tenebrisque humenti-
bus Orbem

Damnat, & erepto patitur squallere sereno:
LIPSIADEN oculis refero manantibus; vt mî
Ryphæi vel montis apex , cum Sole liquef-
cens,

Nix abit in fluios; vel cū Tithonia coniux
Spargit rore solum , & Nati reminiscitur
Vmbra,

Cesserit. O longum radijs viduata diei
Belgica, deliquiumq; tui passura perenne!
Cui tamen hanc cæli faciem non vnicus
orbis

Inuideat , malitq; vices perferre dolorum
Rhenus, Tybris, Arar, Scaldis, sed & Adria
& Arnus;

Queis olim cura vna, vnum certamen, ho-
nestas

Attrahere ad partes, doctos bibere auribus
imbes

LIPSIADÆ, genio, ingenio formarier; artes
Duci per tetricas diuiuæ Pallados. Ecquo
Obfirmet clypeo trepidam CONSTANTIA
mentem;

Quid Ius , quid rectum , populos quæ vin-
cula frænent;

Quod Latij Mauortis opus, quæ MACHINA
muros Eruat,

Eruat, & miseris vacuet cultoribus vires;
 Ordine quo se Maiestas Romana bearit;
 AMPHITHEATRALES dederint quæ præmia
 pugna;

Quæ vexilla CRUCIS, quo nodo lactea con-
 stet

Religio, legemq; FIDES iungatur in vnam.
 Qui sanctæ GENITRICIS honos, concess-
 saq; ab alto

Non occasuris miracula credita chartis.
 Adde etiam adlectos FLORES; iucunda re-
 latu

SOMNIA; dispunctas sæclorum ab labe ta-
 bellas.

Aëriosque Deos, Genialia numina, quodq;
 Dulce Cleanthæa post-sparsit fruge volu-
 men.

Omnibus vnus amor vasti regionibus orbis
 Talem adscisse virum, pendere loquentis
 ab ore:

Quem nunc ô felix Belgarum tractus, a-
 demptum

Si gemis, & merito lacrymarum pondere
 libras;

Est ratio, qua vulnus hians, & aperta cic-
 trix

Introrsum cedens coëat, veteremque fe-
 ducat

Admissa compage cutem; partasq; tenebras
 Solis ab occidui nebulis, vtecumque quieto
 Mollè feras animo (quod nobis nempe ne-
 gatum)

Dum MARIE in templis, testudine suspicis
alta

Pellitos pendere habitus, animeq; labantis
Exuias : dū marmoreis inclusa sepulchris
Busta tenes, concorsq; animæ quod adhæ-
ferat ante

Hospitium seruas: vt non saxa in clyta Nili,
Pyramidasq; optes; nō sit tibi carior Hermi
Limus, & Eoo quæ pingitur vnda metallo.

O ego Dædalias cur non libratus in alas,
Colle Perusino, Latioq; ab limite in Orbem
Deferor augustū, per Vindelicosq; recessus,
VELSERI utilis florentes fascibus isthoc
Inde duce, è campis Belgarū sistar ad ædes
W OVERI veneræde, tuas, cui docta supellex
Obtigit ingenij, vsque adedū dum paruulus
heres

Crescat, & in dotes felix adolescat auitas;
Teq; altore, recens donetur LIPSIVS orbi.
Mox tumuli optatam properè deducar ad
aram.

Hic ego Palladias frōdes, Lauriq; coronas
Obtulerim, & plenā marmor veneratus a-
cerrâ,

Talibus incipiam. TV, quem mansura per
æuum,

Fama ingēs operum felicibus intulit astris,
Liuorisq; mali pennas præcidit inanes,
Seu Genijs mistum superis florentior aura
Tollit, & empyreis CONSTANTIA firmat in
oris:

Seu fati ad summa euectum, iuuat orbibus
orbes

Inspi-

Inspicere adnexos, pendentisque ordine
causas;

Abstrusæq; vices rerū quā nunquam operto
Viuant, & certa Mundum formidine librēt.
Annue Cælestis ingenium, fandiq; ministra
Iura mihi, pectusq; capax, quod semina rerū
Contineat, commissa semel, quod flumine
largo (tis,

Explicet, æternis quidquid cōmittere char-
Gestiat, At Genio quoniam non vlla facul-
tas

Defluxisse tuo, noli prohibere cadentes
Influxus, queis Belgarum si corda tuorum
In morem pluuia irroras, rorentur eisdem
Laurinae frondes: sic vati spiritus ingens
Affluet, & dignis tolleris in æthera plecttis.

MARCI ANTONI BONCIARI Perusini Epistola ad Sensum Sensum.

DE IVSTO LIPSTO mecum sentis, Vir
ornatissime, mecum autem? imò planè
cum omnibus, quos siue amœnitas libera-
lium studiorū, siue Musarū recessus altior,
& secreta delectāt. Equidē ita mihi persua-
deo, nō fuisse ab aliquot sæculis hominem
maiore Ingenio, acriore Iudicio, vberiore
Doctrinā. INGENIUM admiror maximè in
sentētijs aut excogitādis, & de nouo cudē-
dis, aut ita expoliēdis & exornādis, vt ad o-
mnē rē, de qua loquitur, sēper aptas, sem-
per concinnas, atque cum illa natas habere

videatur. Vt mirum non sit, accidisse LIPSIUM in hoc genere, quod haut scio an & veterum planè vlli; vt eo viuente à doctis viris ex illius monumentis sententiæ colligerentur & ederentur. IUDICIUM apparet illud quidem singulare in omnibus, sed præcipuè in rerum ordine tractandarum. Lege ab illo scripta quæcumque voles: negabis vllam materiam ordine ac methodo clariore disponi potuisse, vel ad perdiscendum, vel ad recordandum. Certè *Politica* tot ex auctoribus compacta, in illam seriem ordinemque digerere, non solùm immensi operis, sed etiam eximiæ cuiusdam prudentiæ fuit. Quem ego librum cum lego, regiam aliquam mihi videor intueri, rebus omnibus instructissimam. Et est planè regia, in qua primùm Rex ipse amplum atque augustum habet domicilium, deinde comites & magistratus Regi proximam sedem occupant: quam excipiunt hinc atque hinc togatorum armatorumque stationes, atque cubicula discriminata. Totum verò prætorium, quàm altè surgit, quàm latè extenditur, non fabricatus est LIPSIUS, etsi erat peritissimus homo fabricandi; sed maximè veteres nobilesque opifices ex Latio, & Græcia, & Ægypto accersuit, ad tantum opus ædificandum, & construendum: quibus ille omnibus, quasi fabris, præcipiebat vt architectus. Iam quod attinet ad DOCTRINAM, ea non solùm magna, sed varia,

ria, multiplex, & exquisita, rerum etiam diuerfissimarum. Scribat aliquid de *Theologia*, vt interdum necesse habuit scribere, in *Politicis*, in *Constantia*, in libris de *Cruce*, sed maximè in eo libello: quem inscripsit, *De vna Religione aduersus Dialogistam*: videbis, quam altè penetraret in diuinam illam scientiam, & quàm intimè omnibus, siue Græcis, siue Latinis Patribus vsus esse videatur. Adfirmat mihi Theologus nostri gymnasij longè princeps, *M. Antonius Massius*, non esse ferè inter Theologos, qui difficillimam atque obscurissimam illam *De Fato* quæstionem, ita perspicuè, distinctè, intelligenter tractauerit, quam in primo *De Constantia* libro IVSTVS LIPSIVS. Age verò, fac eundem differere, vt sæpè differit, de minima & tenuissima arrium GRAMMATICA: non Diomedem, non Charisium, non Priscianum dices illi esse antepponendum. Exèplo fit subtilissimus, idemque luculentissimus *De Latina pronuntiatione* dialogus; in quo non video, quid optimus quisque & acutissimus Grammaticorum requirere possit: vt posteros credituros non putem, ab vno ingenio, & illa suprema, & hæc infima, tam doctè, tam scienter, tam æqualiter potuisse tractari. Quid artes & disciplinæ (vt sic dicā) intermediae, DIALECTICA, PHILOSOPHIA, IVS CIVILE? Legantur libri, quibus Ciuem informat, & quibus Regem: apparebit, quàm non inanis

& fucata, sed veræ ac solidæ sapientiæ consultus fuerit. Ius autem ciuile, non solum scientiâ, sed etiam professione suâ vindicat, ad eorû, qui docent, numerum adgregatus. DE Rhetorica & Poëtica dubitatum aliquando est à nonnullis, certè nunquam à me, qui & scitissimos quosdam eius versiculos olim legeram, & tales omnis generis lucubrationes singulari artificio laboratas atque excultas esse intelligebam. Sed proximè omnem dubitationem sustulerunt, præter varia epigrammata, recusæ, cum Antiquis Lectionibus, Leges hortuli; & nuper vulgata *Oratio*, quam habuit apud Principes suos Austrios, agens gratias de suo, ex illorum splendore, gymnasio illustrato. Ex quibus liquidò constat, si vel ad poëticam suauitatem, vel ad oratoriam grauitatem animum appellere velit, fore in vtroque studio singularem atque eximium. Restant, opinor, tria, quæ ad humanitatem magis propriè pertinent, *Scientia linguarum*, *Explicatio auctoriû*, *Notitia antiquitatis*: in quibus, omniû suffragio, tenet LIPSIVS principatum. Itaque rursi hominem non indoctû, qui non maximam Græcæ linguæ cognitionem illi tribueret, quòd idem LIPSIVS in epistola quadam negaret, se multam operam huic studio impendisse. Magnum testimonium, si de illius excellentia, ex illius modestia, non ex aternis ingenij monumentis iudicandum sit. At ego, *Vide*, in quâ,

mi homo, quàm multa in Græcis corrigat, exponat, conuertat felicissimè. Nam quod ad CRITICAM attinet, me potissimùm in admirationem rapit, quod in scriptis Veterum emendandis ita semper est felix, vt siue inueniat veram lectionem, siue non inueniat, parem gratiam ab ipsis auctoribus, & a nobis lectoribus mereri videatur. Adeo enim quadrat loco quidquid illi venit in mentem, vt etiã cum fallitur fortassè, non fallat expectationem nostrã: ipsos aut scriptores, si reuiuiscant, dubitatueros putem, aut quum ne suum malint, an Lipsianum nouum. Delectat verò etiã illud mirabiliter, qd non satis habet obscurum locum illustrare, inuolutum explicare, agrum sanare: sed inter curandum semper adhibet facetum aliquid & ingeniosum, qd quasi leniat præparetque scriptorem malè sanum ad medicinam excipiendam. Chirurghi mulcet hoc modo artus insigniter læsos, & medicam manum exhorrescentes. Superest *Notitia prisca aui*, quæ in LIP SIO tanta est, vt vidisse Rẽpublicam Romanorum, & actis omnibus, non modò per somnium, vt exponit in *Satyrâ*, sed verè ac seriò interfuisse videatur. Felicè hominem, qui per ea quæ repperit, quæ disposuit, quæ sciuit, & vixit antequam nasceretur, & ita est natus, vt nunquam sit moriturus! Felicè iterum, qui nouo more duplicè adeptus est gloriam, & quæ ante illum fuit maximè diuturna, & quæ post illum futura est immortalis! Felicè rex & amplius, qui hanc tantam

& tam admirabilem omnium laudādarum
artium cognitionem, cum æquali candore
animi, religione, pietate coniunxit. Vale.
Perusiæ, ex collegio S. Bernardi. clō. Iō. cii.
Hanc epistolam cum *Iacobo* fratre, nobis-
cum penitūs sentiente, communica,
qui tale aliquid à me expos-
cere videbatur.



SOLI DEO GLORIA.



CL. V.

IUSTI LIPSI
VITA

in Compendium redacta,

Per FRANC. SVVEERTIVM

EXELOGIO

R. D. AVBERTI MIRÆI

Canonici Antuerp.



Notus est IUSTVS LIPSIVS
feliciter, nec sine omi-
ne XV. Kal. Nouemb.
1547. qui dies D. Lucae
Euangelistae sacer: eo
ipso anno, quo Carolus
V. Rom. Imper. Ioanne
Frederico Saxonie Du-

ce in praelio ad Albim capto, & Philippo
Hassiae Lantgrauio in deditioem accepto,
Protestantes Germaniae proceres domuit.
Nox media lumen eximium orbi futurum
protulit, cum mater superiori nocte proxi-
ma pueros duos, mirae candidos per cubi-
culum inambulantes, mutuumque se com-
plexos, vigilans atque ex somnis vidisset.
Interpretari si licet DOCTRINAM ac Mo-
destiam

DESTIAM præsignificatas dixerō: quæ doctes in hoc viro sic iunctim enituerunt, vt ambigerent omnes DOCTOR AN MODESTIOR ESSET LIPSIVS.

Raro certè exemplo, quod scientia inflare soleat: & magnis ferè ingenijs Vanitatem adspargere: præsertim vbi plausus doctorum, & gratia magnorum accesserint.

P A T R I A.

GENITUS est in Iſcano municipio, aëre, aquis, situ peramceno: quod III. lapide à Bruxellis, itemque à Louanio distat. Domus ipsa natalis, in declivi ad viam publicam sita, nunc iacet semirutata, quam (nisi fallat augurium) venerabunda posteritas omnis colēt atque æstimabit, vt Romuli olim casam Romani, & Erasmi nuper domum Roterodami Sic enim naturā comparatum est, vt nescio quo pacto locis ipsis moueamur, in quibus eorum, quos admiramur, adsunt vestigia, & in quibus ipsi habitare, ac sedere sint soliti.

P A R E N T E S E T M A I O R E S.

PARENTES fuere ÆGIDIIVS LIPSIVS & ISABELLA PETIRIVIA, opibus & genere perhonesti, suis quisque parentibus vnicus. Auuus NICOLAVS LIPSIVS: patruus maior MARTINVS LIPSIVS, instituti Augustiniani Canonicus Louanij ad D. Martini, vir ob vtriusque linguæ peritiam, doctrinamque

namque multiplicem, Desid. Erasmo familiaris. Desijt viuere cum I V S T V S octauum ferè ætatis annum ageret.

INSTITVTIO.

ANnos iam VI. natus, Bruxellas cum parentibus migrat, & studijs illic literarum in triuiali parœciæ, vt nuncupant, Capellensis schola initiatur: adeo facilè promptoque ingenio, vt præceptor paruulum genibus impositum, & sic pensa recitantem, alijs ostenderet in æmulationem atque exemplum.

Inter discipulos, *Dionysius Villerius* tunc fuit, nunc Canonicus & Cancellarius Tornaci apud Neruios, an. 1620. adhuc in viuis. Antiquitatis ia paucis & amans & peritus.

VITÆ PERICVLA.

Ceterum, puerili illa ætate, quæ varijs casibus solet esse obnoxia, in præsens vitæ discrimen, triplex, nimirum suffocationem, crurifragium, & merisionem incidit: quæ pericula, non nisi à Deo palam sibi depulsa profiteretur.

Annus agens decimum, Athum Hannoniæ opidum à parentibus ablegatur: biennio hic exacto, carmen ibidem cœpit scribere, & anno tertio Colonia Agrippinâ ad gymnasiû Societatis IESV mittitur. Vix duodecennis orationes scripsit & habuit,
pueri-

pueriles quidem, sed quas grauior etiam ætas in illa ætate laudaret. Philosophiæ studia iam inde à puero sic LIPSI O placuere, vt peccare iuuenili quodam ardore videretur, & fræno atque inhibitione fuerit coercendus. Sub id tēpus, vt optima vitæ dux & magistra est Philosophia, pectus adolescentis Pietas tetigit, & SOC. IESV voluit adgregari. Parentes inaudierunt, abduxerunt, & annos. XV I. natum, ex Vbijs Louanium euocarunt.

Itaque Philosophicis insistens, Physica, anno 1565. in gymnasio Liliensi (cuius olim & DES. ERASMVVS alumnus exstitit) studiosè audiuit. Philosophiæ spatia emensum amœna litterarum, atque antiquitatis studia ad se totum traxerunt.

Louanij dum versatur; & Iurisprudentiam quoque libat, pater ipsi fato eripitur, Bruxellensis tunc vr̄bis prætorio Præfectus. Mater filij causâ Bruxellis Louaniū sedem ac domicilium transtulit, atque ibi ex hydrope non diu post obiit: Annum tum fere XVIII. agebat LIPSIVS, & publicè iam specimen eximium sui dederat, in scholis declamâdo ac differêdo. Sed magis magisque Musa vetus ipsum capere, & eius amore, Italiam cogitare.

PRIMVS INGENII FOETVS.

FECIT, sed VARIARVM LECTIIONVM libris conscriptis: quod ingenij sui, vt
appel-

appellat, tirocinium vix nouem-decennis edidit, atque Cardinali GRANVELLANO inscripsit. Primus hic illi aditus ad famam, atque in PERENOTI domum fuit, in quam Romæ admissus, biennium circiter egit.

Erat à Latinis illi epistolis, sed otium & omne liberum tempus dabat inspectioni lapidum, locorum veterum, & si quid in Vrbe aut vicinia visendum esset, aut noscendum, Bibliotheca Vaticana per Guilielmum Sirletum Cardinalem longè doctiss. illi patuit, M. ANTONIVM MVRETVM profitentem audiuit, BENCIVM fratris loco habuit: Innotuit & HIERONYMO MERCVRIALI, nostræ ætatis Medicorum principi: CAROLVM item SIGONIVM & PETRVM VICTORIVM, per viam vidit.

ADOLESCENTIÆ LIBERTAS.

Loanium deinde redijt, annum ibi vnum egit primæuo in flore iuuentæ, & egit haut vsque quaque ad seueram Catonis regulam. Ad eò verum illud, *Semel insaniimus omnes*. At Deus & Natura melior honestissimæ indolis adolescentem reuocarunt: qui peregrinatione in Sequanos, indeque in Germaniam instituta, se subduxit, & societatem omnem pristinam valere iussit.

Leodicum itaque, non sine Deo duce, deflectens, CAROLVM ibi LANGIVM, veterem

terem atque eruditum amicum, salutavit. Ille enim fuit ille vir, qui oculos adolescenti aperuit, deterfa vanitarum atque opinionum vulgarium nube. Ille qui animum eius ad optima quæque excitavit, ille qui docuit, quâ ratione in medijs etiam belli turbis, quies illi ac tranquillitas constaret. Quibus ex sermonibus aurei illi **DE CONSTANTIA** libri postea enati.

Leodico Dolam, quæ Sequanorû est Academia, profectus, menses ibi pauculos substitit, & **VICTOREM GISELINVM** dum Medici titulo donatur, publicè laudavit. Qua quidem oratione à meridie dicta, & conuiuium mox infecto, febrim acerrimam contraxit, & tantum non periit.

Valetudini pristinæ redditus, Vienne Austriae, atque in Maxæmiliani II. aulam se contulit: quæ vna plures tunc eruditos habebat, quam aliorum tota ferè regna. Hic **AVGERIO GISLENO BVSBEQVIO**, **IOANNI CRATONI**, **NICOLA O BIESIO**, **IOANNI SAMEVCO**, & **STEPHANO PHIGIO** innotuit & placuit: atque ij iuuenem retinere, & ijs ij locis illicare non vnâ conditione sunt conati. At frustra, nam patriam respectabat, & animo redeundi, per Bohemiam, lustratâ Pragâ, per Misniam, Thuringiam, & vicina Saxoniae loca iter instituit: cû ecce tristes de afflictâ nouo bellorum turbine Belgicâ. 1572. deque attrito militari iniuriâ patrimonio nuntij alati,

lati pedem figere vel inuitum istis in locis adegerunt. Itaque Ienæ paullo plus annum hæsit, docuit: atque illa primordia ad Professorium ipsi munus fuere.

In quo munere ad extremum vsque spiritum, magna constãtia perstitit: ne iuuentur, cui ad optima ducendæ natus erat, deesse videretur.

V X O R.

REbus in Belgica paululum pacatis, Coloniam Vbiorum venit. Hic ANNAM CALSTRIAM, viduam, patricia Louanij familiã genitam, duxit vxorem. Vixerunt concorditer, quamquam fructus matrimonij, id est, liberorum exsortes.

In Vbijs menses IX. cum vxore substitit, & ANTIQVAS LECTIONES conscripsit. CORNELIVM deindè TACITVM historicum omnium prudentissimum in manus sumpsit, Notisque illustrauit: plenum postea COMMENTARIVM Lugduni in Batavis adiecit. Post TACITVM editum, & ANTIQVAS, sustinuit se paullisper à scribendo atque Coloniã in Iscanum suum migravit. Et iam seriò quietum, lateas ac rurestre istud vitæ genus erat ingressus: cum ecce bello civili repentè exorto licentia militaris ex agro in urbem migrare compulit.

Itaque Louanium redux Iurisprudentiæ studijs, ex amicorum consilio magis seriò se

nò se dedit, & titulum etiam Iurisperiti, publica inauguratione, ibidē sumpsit cIo. Io. LXXVI.

A foro tamen atque à Reipublicæ procuratione, non inertia, sed iudicio se perpetuò abstinuit. Voce ac stilo sic vniuersis & singulis prodesse semper studuit, vt non vnus Reipubl. sed totius generis humani curam gessisse videatur.

Sub id tempus *EPISTOLICAS*, Louanij, *QVÆSTIONES* euulgauit: *LEGES* item *REGIAS* & *DECEMVIRALES*, & *LIVI* quædam in auditorum gratiam tunc concinnauit cIo. Io. LXXVIII.

Exinde acriores procellæ, & venti iterum excitati in Belgicam, quum sine certis sedibus aliquando discurret *LIPSIVS*: tandem Lugdunî in Batavis posuit, 1579. Ordinum vocatu, & stipendio sanè perhonesto; sed temporaneas, non perpetuas. Turbæ tamen ex turbis, vt fieri amat, enatæ, stationem mutare vetuerunt, & annos XI. in Batavis tenuerunt. In alto illic otio, in flore æui & ingenij scripsit ediditque varia, atque in suis maximè elaborata. Initium fecit ab *ELECTORVM* libris. *SATYRAM* postea *MENIPPÆAM* lusit, super ambitione & imperitia quorundam, qui se Criticos dicunt. Ad *LYDOS* & spectacula conuersus, 1582. *SATVRNALIVM* libros, qui *DE GLADIATORIBVS*, foras dedit. *DE AMPHITHEATRO* quædam quoque
con-

contexuit; in coque imaginem, faciem & habitum omnis Arenę expressit. DE CONSTANTIA, in medijs Belgicę nostrę turbis, constanter scripsit, & S. P. Q. Antwerp. inscripsit. Aucta iam fama, cum EPISTOLAS suas ab alijs alibi vulgari comperisset, eas ipse errantes collegit, & publici iuris fecit: EPISTOLICA INSTITVTIONE, in bonum iuuentutis adiuncta. Vt de VALERIO MAXIMO. SENECA TREGICO, & VALERIO PATERCVLO, quos Notis & animaduersionibus illustrauit, nihil dicam: dialogus DE RECTA LINGVÆ LATINÆ PRONVTIATIONE, dignus est perfectò, qui publicè in scena laudetur. Quid tessellaro POLITICORVM opere sublimius? quid illo DE VNA RELIGIONE Commentario diuinius? Libello aduersus CORNHARTIVM conscripto, cum idem sub prælo sudaret, dolo bono, pioque, ex Batauis se subduxit LIPSIVS 1590. profectioe per Germaniam in Eburones, ad Spadanos fontes acidos, hepeterio, quo laborabat morbo (vt aiebat) curando institutâ.

Discessus causâ duplex illi fuit, Religio- nis nimirum & Famæ. Leodici aut Spadæ biennium ferè egit, bibitque acidulas illas à multis laudatas.

Famâ discessus per Germaniam sparsâ, mox GVILIELMVS Boiorum Dux, eiusque frater ERNESTVS, Vbiorum atque Eburonum Antistes, WOLFANGVS THEODORI-

DORICVS Salisburgensium, IULIVS Herbi-
 polentium, PRÆSULES, CHRISTIANVS
 SAXONIÆ DUX, VT & CLEMENS VIII. Pont.
 Max. HENRICVS IV. Galliaë Rex, FERDI-
 NANDVS Hetruriaë DUX, SENATUS PO-
 PVLVSQVE VENETVS, PATAVINVS, BONO-
 NIENSES, & alij Principes viri amplissimis
 ipsum præmijs certatim ad se euocarunt.

Vnius priuati hominis adfectum silere,
 nec possum, nec debeo. Fuit is BENEDICTVS
 ARIAS MONTANVS, Hispalensis, vir eru-
 ditis linguis cultissimus. Is, inquam, be-
 nignâ & rarâ effusione, LIPSIUM non vt
 hospitem aut amicum, sed (eo verbo vten-
 dum est) quasi filium, non semel in Hispa-
 niam, suamque domum inuitauit: & se vi-
 uo, rerum suarum consortium, mortuo
 successionem ex asse obtulit.

Louanium igitur regredi placuit 1592.
 Brabantiaë Ordinibus benignè, serioque
 vocantibus. Quibus, vt gratum se pro-
 baret, suos DE CRVCB commentarios
 paullò post dicauit consecrauitque.

Porrò cum opus aliquòd iamdiu me-
 ditaretur, quod lucem ad res Romanas &
 Græcas præferret, repperit quod FACSM
 HISTORICAM non ex superbia, sed ex
 proposito appellaret. Hoc cum diffusum,
 imò & confusum esset, placuit excerpe-
 re primum ex omni cumulo, quidquid ad
 MILITIAM facere videbatur. In suis ita-
 que ad POLYBIUM Commentarijs, aperuit
 quid-

quidquid ad ordinem, arma, leges militiae spectat: in POLIORCETICIS autem, machinas, tormenta, tela veterum exhibuit, daturus & TRIUMPHVM, felicitis belli clausulam, nisi valetudo aduersa intercellisset. Sibi redditus, ADMIRANDA in Imperijs, florente olim ætate collecta, cœpit disponere & vulgare, à ROMANA MAGNITVDINE feliciter exorsus.

ALBERTVS ET ISABELLA CLARA EVGENIA Principp. nostri cum Louanij 1599 VIII. Kalend. Decemb. inaugurati essent, postriedie eius diei, scholas publicas visitarunt: in eo magnos Principes imitati Cn. Pompeiũ & Claudium Cæsarem. LIPSIUM dicere aliquid subitaneum voluerunt, siue iusserunt. Fecit, & à more lectionis solitæ non recedens, ANNÆI SENECAE librum DE CLEMENTIA in manus sumpsit, & pauca eius verba explicauit. Dissertatiunculae isti extemporaneæ, vt pondus adderet, C. PLINII SECUNDI PANEGRICVM, Traiano Imper. dictum siue scriptum, cum perpetuo Commentario adiunxit. POLITICA scripsisse non contentus, eadem EXEMPLIS MONITISQVE illustrauit. Historiæ porrò Belgicæ scribendæ à primis annis animum si applicuisset, non esset cur Italis IOVIVM, SIGONIVM, Hispanis MARIANAM, Gallis MASONVM inuideremus. Fidem faciunt Historici DE LOVANIO, EIVSQ. VRBIS
COMI-

COMITIBVS Commentarij. Dedit & BRABANTIAE vniuersae historiam, sed fata inuida vetuerunt. CORN. TACITVM, prudentiae patrem, florente, vt diximus, aetate vulgarat: ea fatifcente 1604. voluit & ANNÆ VM SENECAM Philosophum, sapientiae fontem dare. MANVDUCTIONEM ergo AD STOICAM PHILOSOPHIAM adornauit.

Biennium ante ediderat libros II. priorem quo MIRACVLA ET LAVDES DIVÆ VIRGINIS HALLENSIS continentur; alterū, quo DIVÆ SICHEMIENSIS. Qui libri summam auctori apud Nouatores inuidiam conflareunt. Quid mirum? constat omnium aetatum hæreticos Vatiniano in Virginem, eiusque cultores odio flagrasse.

Ad extremum vsque vitæ actum, fabulæque catastrophem, tristem illam quidem, sed in qua sunt omnia, tandem venimus. Anno cIo. Io. cvi. xv. Kal. April. è tussi, grauissimisque stillantis cerebri defluxionibus æger esse cæpit LIPSIVS.

Morbo ingrauescente, LEONARDVM LESIVM, Soc. IESV Theologum, sibi per familiarem, aduocauit, atque in procurandis ritu Christiano sacris, & animo expiando eluendoque totus fuit.

Adeò quidem, vt extremis illis diebus, nec scriptorum à se editorum aut adfectorum, nec studiorum vllam omnino mentionem fecerit. Vni enim Deo, vitæ mortisque arbitro, dandam tunc operam rectè existimauit.

Sacrosanctum CHRISTI Corpus XIII. Kal. April. qui dies in Dominicam, vt nuncupant, Palmarum tunc incidit, piè suscepit, & oleo sacro, die proximè sequenti inunctus est. Non semel auditus est gratulari sibi, isto se anni tempore è vita migrare, quo Christi sanguis maximè in Ecclesia ferueret. Cùmque oblatum pro se in cruentum sacrificium ex quodam religioso intellexisset. *Faxit, inquit, Deus, Pater mi, vt sanguis ille pretiosus in me abundè deriuetur, qui in illa Passione effusus est.*

Virginem Matrem voto supplice in extrema ista lucta inuocauit: *O Mater Dei, ad sis famulo tuo cum tota Æternitate decertanti, nec me deseras in ista hora, à qua pendet æterna anima mea salus.*

M O R S.

CÆterùm summa cum testificatione pietatis, Christi ex cruce pendentis imaginem frequenter amplectens, X. Kal. April. nocte mediâ, anno ætatis nono & L. placidè ac leniter exspirauit, oculosq; amici clausit NICOLAUS OVDARTVS, Canon. & Officialis Mechliniensis. Mediocri pompâ, vt, quâ erat modestiâ, iusserat, elatus est prid. Paschatis, VIII. Kal. April. horâ post meridiem IV. humeris vniuersæ, vt sic dicam, Academiæ: certantibus nimirum inter se studiosis vt extremum illud præceptoris opt. pietatis officium impenderent.

Elatus est Carlo admodum pluuio, vt id-
ipsum in lacrymas solui videretur. Insecuti
biduo post venti ab hominum memoria ve-
hementissimi, & quales nunquam flauerant
vivo L I P S I O, ventosæ ambitionis ac vani-
tatis domitore Conditus iacet, vt testamē-
ti tabulis mandarar, in æde sacra Francisca-
norum sodaliū, ante Virginis Deiparæ arā.
Inscriptionem vere philosophicam, tumulo
appendendam, paucis ipse versibus biennio
antea complexus fuerat.

T V M V L V S.

*Quis hic sepultus quæris? ipse edisseram:
Nuper locutus & stilo & lingua fui,
Nunc altero licebit. Ego sum L I P S I V S:
Cui litteræ dant nomen & tuus fauor.
Sed nomen, ipse abiit, abibit hoc quoque,
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scæna imago, & verbo vt absolnam, N I-
H I L
Extremum hoc te alloquor,
Æternum vt gaudeam, tu apprecare.*

I V S T V S L I P S I V S vixit annos L V I I I.
Menses V.

Obijt anno Christiano.

clō, lo cvi. x. Kal. April.

Mar.

Marmoreum tumulum, vna cum statua, ære suo vidua excitavit. S. P. Q. Antwerp. viri nostrorum olim civium studiosissimi ossa sarcophago itidem marmoreo complecti voluit, hac Epigraphæ addita:

IVSTI LIPSI
 QVOD CLAVDI POTVIT
 HIC IACET
 S. P. Q. ANTVERP.
 INCLYTI VIRI
 FAMÆ, ORBI NOTÆ,
 VIRTVTI, CÆLO RECEPTÆ
 H. M. P.

Iusta persoluta sunt III. Kal. April. in primaria vrbis Basilica, D. Petro Apostolici cœtus principi sacra: & defunctum pro funere laudavit GERARDVS CORSELIVS. Vt æuo suo TITVS, sic nostro LIPSIVS vere DELICIVM GENERIS HVMANI FVIT. Hunc namque Pontifices, Reges, Principes coluerunt: hunc Itali, Hispani, Galli, Germani, Britanni, Pannoni, Rusci, Daci, Sarmatæ, Græci venerati sunt: huius deniq; amicitiam, eruditi omniũ gentiũ, omniũ ordinum homines expetiuerunt.

Habes, mi Lector, magni LIPSI vitam, nõ tam meis, quàm ipsius ferè verbis concinnatam. Quod ita facere visum, non quod verba nobis deessent (imò quod deessent in

tato heroë pro dignitate laudãdo) sed fidei apud omnes augendæ. Et verò, nec potuit nec debuit LIPSIVS ab alio, quàm à LIPSIO laudari. Hanc ego præcipuam laudem esse censeo, DIGNE LAVDARI NON POSSE. Hic tamen qualiscumque labor, HONORI amici nostri Opt. Max. DESTINATVS, PROFESSIONE PIETATIS, vt spero, AVT LAVTVS ERIT AVT EXCVSATVS.

S Y L L A B V S

O P E R V M

I V S T I L I P S I.

Historica Sacra.

DE Diua Virgine Hallensi liber, quo Beneficia eius & Miracula fide atque ordine descripta,

De Diua Virgine Sichemiensi siue Aspricolle liber, quo noua eius Beneficia & Admiranda describuntur.

Historica Romana & externa.

ADmiranda, siue de Magnitudine Romana libri IV. De Militia Romana libri V. Commentarius ad Polybum.

Poliorcetica, lib. V. qui sunt de Machinis, Tormentis, Telis.

De Amphitheatro Romano liber.

De Amphitheatris, quæ extra Romam liber.

Saturnalium sermonum lib. II. qui de Gladiatoribus.

De Cruce libri III. ad Sacram profanamq; Historiam utiles.

De Vesta & Vestalibus Syntagma.

De Bibliothecis Syntagma.

Commentarij pleni in Corn. Tacitum.

Animadversiones in C. Velleium Paterculum.

Louanium, siue opidi & Academia eius descriptio, lib. III.

Politica & Ethica.

Politicorum, siue ciuilibus doctrina libri VI. qui ad Principatum maximè spectant.

Monita, & Exempla Politica, libri II. qui Virtutes & Vitia Principum spectant.

De Constantia libri II. verè aurei, qui alloquiū præcipuè continent in publicis malis.

Manudictionis ad Stoicam Philosophiam libri III. L. Annao Seneca, alijsque scriptoribus illustrandis.

Physiologia Stoicorum libri III. ijsdem scriptoribus illustrandis.

Commentarij & scholia in L. Annaum Senecam Philosophum.

Dissertatiuncula apud Serenissimos Belgica Principes ALBERTVM & ISABELLAM Austrios.

Commentarij perpetuus in C. Plin. Panegyricum, Traiano Imper. scriptum siue dictum.

Leges Regia, & leges Decemvirales.

Critica & Philologica.

Variarum Lectionum Libri III. in quibus pleraque ad M. Tullium Ciceronem, M. Terentium Varronem, & Sex. Propertium Nota.

Antiquarum Lectionum libri V. in quibus varia scriptorum loca, Plauti praecipue illustrantur aut emendantur.

Epistolicarum Quaestionum libri V. in quibus ad varios scriptores, pleraque ad T. Livium Nota.

Electorum libri II. in quibus praeter Censuras, varij prisca Ritus.

De recta pronuntiatione Latinae linguae Dialogus.

Ad Valerium Maximum Nota.

In Tragedias, quae L. Annao Seneca tribuuntur, Animaduersiones.

Judicium de Consolatione M. Tullij Ciceronis, super, ut volunt, primum reperta: quo libro seipsum Cicero de filiae morte consolatus dicitur.

Satyra Menippaea. Somnium & Lusus in nostri aui Criticos.

Apologetica.

DE una Religione liber, aduersus Dialogistam Theodorum Cornbertium.

Disputatio Notarum Mirandulani codicis ad Cornel. Tacitum, aduersus Lucium.

*Reiectiuncula Sanionis cuiusdam Bataui, pro
Diva Virgine Hallensi.*

Epistolæ.

*Epistolarum Centuria X. Ex his quinque sunt
Miscellanea, tres ad Belgas, una ad Italos &
Hispanos, una item ad Germanos & Gallos.*

Epistolica institutio, è distantis ore excerpta.

*Musas errantes, hoc est, Poëmata hinc inde
sparsa, collegit & euulgavit Franciscus
Svveerius.*





INDEX FLO-
RVM IVSTI
LIPSI.

A.

A Duersitas, Crux, Clades..	I
Adulatio & Assentatio..	5
Affectus.	6
Ambitio.	7
Amicitia & Amor..	7
Anima & Corpus.	II
Animus & Mens.	II
Artes & littera.	18
Auauitia.	23
Aula.	24

B.

B ellum, vide Militia.	25
Beneficia, vide Munera..	25
Bonitas.	25

C.

C ælum.	26
Calumniator & Calumnia..	27
Cappucini.	33
Castitas & Temperantia..	33
Ciuis.	34

Clades.

I N D E X.

<i>Clades, vide Aduersitas.</i>	35
<i>Clementia.</i>	35
<i>Cogitationes.</i>	35
<i>Consortium bonum & prauum.</i>	36
<i>Conscientia.</i>	36
<i>Consilium.</i>	37
<i>Constantia.</i>	38
<i>Contemptus rerum terrenarum.</i>	40
<i>Corpus, vide Anima.</i>	42
<i>Corrector, vide Typographia.</i>	42
<i>Critica.</i>	42
<i>Crux, vide Aduersitas.</i>	44
<i>Cupiditas.</i>	44
<i>Curiositas.</i>	44

D.

D <i>ecreta.</i>	45
<i>Delectatio, vide Voluptas.</i>	46
<i>Deus & Prouidentia.</i>	46
<i>Diligentia.</i>	52
<i>Discipuli.</i>	52
<i>Discordia.</i>	53
<i>Doctores, vide Scriptores.</i>	53
<i>Doctrina.</i>	53
<i>Dolor.</i>	53
<i>Domus Austriaca.</i>	55

E.

E <i>loquentia.</i>	55
<i>Epistola.</i>	55

F.

F <i>abula.</i>	56
<i>Fama.</i>	57

N 5

Fatum.

INDEX.

<i>Fortum.</i>	59
<i>Famina, vide Matrimonium.</i>	61
<i>Fides, Fraus, & Fallacia.</i>	61
<i>Fides.</i>	61
<i>Fortitudo.</i>	61
<i>Fortuna.</i>	62

G.

G <i>Allia.</i>	63
<i>Garrulitas.</i>	64
<i>Gaudium.</i>	65
<i>Gloria, vide Superbia.</i>	65
<i>Gubernator.</i>	65

H.

H <i>istoria & Annales.</i>	66
<i>Homerus.</i>	67
<i>Homo.</i>	67
<i>Honestas vide Probitas.</i>	71
<i>Honor.</i>	71
<i>Humanitas.</i>	71
<i>Humana.</i>	72
<i>Humilitas.</i>	73

I.

I <i>Gnavia & Otium.</i>	73
<i>Imperium vide Regnum.</i>	75
<i>Impietas vide Vitium.</i>	75
<i>Imperitus.</i>	75
<i>Indulgentia.</i>	75
<i>Ingenium.</i>	76
<i>Inobedientia, vide Obedientia.</i>	78

Inno-

I N D E X.

<i>Innocentia.</i>	78
<i>Invidia & Liuor.</i>	78
<i>Ira.</i>	79
<i>Italia.</i>	80
<i>Iudex, & Iudicium.</i>	81
<i>Iurisprudentia.</i>	81
<i>Iustitia.</i>	83
<i>Iuuentus.</i>	84

L.

L <i>Abor & studium.</i>	88
<i>Laus.</i>	89
<i>Licentia, vide Indulgentia.</i>	89
<i>Littera, vide Artes.</i>	89
<i>Liuor, vide Invidia.</i>	89
<i>Lufus.</i>	89
<i>Luxus & Libido.</i>	90

M.

M <i>Aledicentia.</i>	90
<i>Manjuetudo.</i>	91
<i>Mare.</i>	91
<i>Matrimonium & fœmina.</i>	91
<i>Macenates.</i>	93
<i>Mens vide Animus.</i>	94
<i>Militia & Bellum.</i>	94
<i>Miracula.</i>	99
<i>Mifericordia.</i>	101
<i>Modeftia.</i>	101
<i>Modus.</i>	102
<i>Monita & præcepta.</i>	103
<i>Morbis.</i>	105

I N D E X.

<i>Mors rerumq; omnium interitus.</i>	106.
<i>Mos.</i>	115.
<i>Mundus.</i>	115.
<i>Munera & Beneficia.</i>	116.

N.

N <i>Atura.</i>	117.
<i>Necessitas.</i>	118.
<i>Nobilitas.</i>	119.
<i>Nugatores.</i>	119.

O.

O <i>Bedientia & Inobedientia.</i>	119.
<i>Odiu.</i>	121.
<i>Opes.</i>	121.
<i>Opinio.</i>	122.
<i>Otium, vide Ignauia.</i>	124.

P.

P <i>Atientia.</i>	124.
<i>Patria.</i>	125.
<i>Pax.</i>	126.
<i>Pecunia.</i>	126.
<i>Peccatum.</i>	126.
<i>Peregrinatio.</i>	126.
<i>Peregrini.</i>	128.
<i>Perturbatio.</i>	129.
<i>Philautia.</i>	129.
<i>Philosophia & Ratio.</i>	129.
<i>Pietas.</i>	134.
<i>Populus.</i>	135.
<i>Præcepta, vide Monita.</i>	136.
	Prim-

I N D E X.

<i>Principes, vide Reges.</i>	136
<i>Probitas & Honestas.</i>	136
<i>Prouidentia, vide DEVS.</i>	137
<i>Prudentia, vide Virtus.</i>	137
<i>Pudor & Verecundia.</i>	137
<i>Punitio.</i>	138

R.

R atio, vide Philosophia.	139
<i>Reges, & Principes.</i>	139
<i>Regnum & Imperium.</i>	144
<i>Religio.</i>	146
<i>Respublica.</i>	149
<i>Roma.</i>	15

S.

S apientia & Sapiens.	152
<i>Scelus vide Vitium.</i>	156
<i>Scientia.</i>	156
<i>Scriptores & scripta Veterum.</i>	157
<i>Seneca.</i>	161
<i>Senectus.</i>	163
<i>Sermo.</i>	165
<i>Studium, vide Labor.</i>	165
<i>Suſperbia & Gloria.</i>	165

T.

T emperantia vide Castitas.	166
<i>Tempus.</i>	166
<i>Theologia.</i>	167
<i>Typographus & Corrector.</i>	167
<i>Tranquillitas.</i>	168
<i>Tristitia.</i>	

Tristitia. 168

V.

V *Anitas.* 169

Verecundia, vide Pudor. 169

Veritas. 169

Virtus & Prudentia. 170

Virginitas. 172


Vita mortalis. 173

Vitium & Impietas. 177

Voluntas. 178

Voluptas & Delectatio. 179





NOMINA EORVM,

QVORVM IN

TESTIMONIIS,

SYMBOLIS,

INSCRIPTIONIBVS

ET

EPITAPHIIS *mentio fit.*

A.

A <i>Brahamus Milius.</i>	200
<i>Abrahamus Ortelius.</i>	197.244.245
<i>A. Deinius.</i>	235
<i>Albertus & Isabella Principp.</i>	231.232.233
<i>Antonius Besancenotus.</i>	209
<i>Antonius Richardotus.</i>	184
<i>Arnoldus de Cordes.</i>	253
<i>Arnoldus Mylius.</i>	257
<i>Aubertus Miraus.</i>	207
<i>Augerius Gislenuus Busbequius.</i>	240

B.

B <i>Artholomaus Buchovius.</i>	215
<i>Beatrix Rampartia.</i>	855

C.

C <i>Carolus Philippus de Croy.</i>	261
<i>Carolus Richardotus.</i>	249
<i>Casspar Zapena.</i>	250
<i>Caterinus VVyts.</i>	243
<i>Christophorus Heroldus.</i>	243
<i>Christophorus Plantinus.</i>	239
<i>Cornelius Prunius.</i>	246
	Cor-

I N D E X.

<i>Cornelius Vanderemius.</i>	207
<i>Cornelius van Dale.</i>	220
<i>Cornelius van Eeckeren.</i>	247

D.

D aniel van der Baren.	251
<i>Dionysius Neys.</i>	223
<i>Dionysius Vilerius.</i>	216
<i>Dominicus Baudius.</i>	201
<i>Dorothea Mansfeldt.</i>	248

E.

E manuel Demetrius.	201
<i>Engelbertus de Boisi.</i>	221
<i>Erycius Puteanus.</i>	181. 204. 208.

F.

F ranciscus de Aguilar Alvarado.	254
<i>Franciscus Martinus.</i>	238
<i>Franciscus Orantus.</i>	185. 247
<i>Franciscus Swoertius.</i>	205. 226
<i>Franciscus de Verlugijs.</i>	249

G.

G augericus Rivius.	191
<i>Georgius Vvvenus.</i>	223
<i>Gertrudis Van Os.</i>	241
<i>Godefridus Hortelius.</i>	190
<i>Guilielmus Athenius.</i>	182
<i>Guilielmus Barclay.</i>	205
<i>Guilielmus Malinaus.</i>	194
<i>Guilielmus Ryffelinius.</i>	193
	Ha-

I N D E X.

H.

H <i>Adriannus Mylius.</i>	239
<i>Hadriannus Saissevallius.</i>	189
<i>Hadriannus Tacquetus.</i>	246
<i>Hermannus de Lynden Baro de Rechem.</i>	227
<i>Hieronimus ab Eynatten.</i>	253
<i>Hortus Lipsianus.</i>	224

I.

I <i>Acobus Angianus.</i>	243
<i>Iacobus de Cordes.</i>	253
<i>Ianus Douza.</i>	200
<i>Ianus Gruterus.</i>	197
<i>Ianus Hautenus.</i>	198
<i>Ianus Lernutius.</i>	196
<i>Ioannes Baptista Baronius.</i>	188. 219
<i>Ioannes Besancenotus.</i>	209
<i>Ioannes Drostenus.</i>	213
<i>Ioannes Geuartius.</i>	199
<i>Ioannes Guilielmus de Spangen.</i>	214
<i>Ioannes Harduynus.</i>	222
<i>Ioannes Robertus Thumerius.</i>	218
<i>Ioannes Tucherus.</i>	259
<i>Ioannes Van Hove.</i>	256
<i>Ioannes Vergerius Auranus.</i>	192
<i>Ioannes VVamesius.</i>	242
<i>Ioannes VVouerus.</i>	183
<i>Isabella de Sorbruecq.</i>	241
<i>Iustus Lipsius.</i>	264. & seqq.
	Lude-

C E N S U R A.

HI FLORES, ex lectissimis LI-
PSIANI ingenii viridariis,
per FRANC. SVVEERTIVM F. col-
lecti, & in locos communes, ac
velut certos puluillos digesti, di-
gni sunt qui ab omnibus discer-
pantur: vt qui non antiquitatem
modò, sed & salutarem, ad benè
beateq; viuendum, odorem spi-
rent, & Authorem suum funere
non parum illustrent. Poterunt
itaque ad multorum cum instru-
ctionem, tum recreationem pu-
blicari. clò. lxxiv. x. Ian.

*Laurent. Beyerlinck S.T.L. & Censor
libror. Antwerp.*

CENSURA.

Testimonia hæc, siue Elogia selecto-
ria à Viro clariss. IUSTO LIPSIO,
contubernalibus atque Auditoribus qui-
busdam, ob virtutem & studiorum amo-
rem data, meritò Sententiarum & Simi-
litudinem Floribus, ex operibus ipsius de-
scriptis adiungentur. Ita censeo.

Laurent. Beyerlinck Archipref.
& Cens. libror. Antwerp.


Errata sic corrigantur.

f. 5. alternas. l. alternæ. f. 49. sine. l. siue.
f. 84. l. 13. orpus. l. corpus. f. 94. colligit. l.
colligit. f. 100. l. 7. parcicius. l. parcius.
f. 127. l. 18. infecta. l. infecta. f. 157. l. 19. par-
ticulas. l. particulis. f. 158. in fin. fotasse.
l. fortasse. f. 193. l. 4. fidel. fide. f. 220. l. 10.
sua. l. tua. f. 208. ad fi. S. E. l. S. F. f. 223.
ad fin. qua. l. quò. f. 229. l. 10. humanam.
l. humanum. f. 239. l. 15. seculo. l. seculi.
f. 243. l. 6. Andriam. l. Ardriam. f. 252. l. 4.
DECERERIA. l. DECKERIA.
















A

17-275